


~~By~~
Johannes de Hanover
factus est primus Exi-
mus Regni a Donifacio
9: R & circa ann 1389

(Johannes P.)





19693

PURPURA
PANNONICA,

282

SIVE

36

VITÆ,

ET

RES GESTÆ

S. R. E.

CARDINALIUM,


QUI

Aut in ditionibus Sacræ
Coronæ Hungariæ nati, aut Regibus
sanguine conjuncti, aut Episcopatibus
Hungaricis potiti fuerunt.

EDITIO NOVISSIMA,

ET

EMENDATA.



CASSOVIÆ,

Typis Academicis Societatis JESU,

ANNO MDCCXLV.



CARDINALES HUNGARIÆ,

Quorū Vitæ, & Res gestæ hîc enarrantur.

J OANNES DE STRUMA	- - -	<i>pag.</i> 1.
STEPHANUS DE VANCHA	- - -	4.
BERTRANDUS	- - -	21.
DEMETRIUS	- - -	21.
VALENTINUS	- - -	41.
DIONYSIUS	- - -	47.
STEPHANUS DE VARDA	- - -	73.
GABRIEL RANGONIUS	- - -	81.
JOANNES VITEZIUS	- - -	88.
JOANNES DE ARAGONIA	- - -	91.
FRIDERICUS frater ULADISLAI R. H.	- - -	97.
HIPPOLYTUS ESTENSIS	- - -	99.
THOMAS BAKACZ	- - -	109.
PETRUS ISUALIUS	- - -	141.
GEORGIUS MARTINUSIUS	- - -	143.
ZACHARIAS DELPHINUS	- - -	163.
ANDREAS AUSTRIACUS	- - -	168.
ANDREAS BATHORIUS	- - -	177.
GEORGIUS DRASKOVICH	- - -	188.
FRANCISCUS FORGÁCH	- - -	205.
PETRUS PÁZMÁNY	- - -	232.
LEOPOLDUS à KOLLONICZ	- - -	278.
CHRISTIANUS AUGUSTUS	- - -	312.
EMERICUS CSÁKY	- - -	324.
MICHAEL AB ALTHAN	- - -	347.
ALVARUS DE CIENFUEGOS	- - -	368.



JOAN-



J O A N N E S
D E S T R U M A
C A R D I N A L I S T U S C U L A N U S ,
Abbas Sirmiensis.

Prodiit in hanc lucem Jo- Jacob. Paff-
 annes in Hungaria, aut Scla- us Historia
 vonia. Nam & convenit in- sacra Reli-
 ter Historicos origine Hungarum fu- gionis, &
 isse, & Jacobus Bosius refert eum militia S. Jo-
 Abbatiāe cuidam Sirmiensi præfuisse. annis Jero-
 Dictus erat à Victore Antipapa Car- sol. Parte 1.
 dinalis Tusculanus; qua de causa no- lib. 3.
 tam S. R. E. Cardinalis ei demimus.
 Exinde extincto Paschale Antipapâ,
 qui Victori sublectus fuerat, Joan-
 nes Anno à Nativitate Domini 1170. vide Orta-
 in reciso à corpore Ecclesiæ cætu phrii Pan-
 principatum obtinuit cum nomine vini Chron.
 Callisti III. Approbavit eum confe- Pontif. Ra-
 ssum schismatis caput, Fridericus Aeno- man.
 barbus Imperator. Verùm ubi ipse
 Fridericus Alexandro III. conciliatus

A| est,

est, Joannes defensorem perdidit. Alexander insuper in Concilio Veneto (cui quidem nulli Episcopi Hungariæ, & finitimarum Provinciarum memorantur interfuisse) Joannem à Societate Christianorum segregavit. Quare cùm nusquam tutò consisteret, rebus suis desperatis melius consulturus Alexandro supplicatus est: qua de re Romualdus Salernitanus Archi-Episcopus hæc memoriæ prodidit: *Annò Dominicæ Incarnationis 1178. Mensæ Augusti, Indictione II. tertio die ante finem mensis ejusdem, videlicet in Festo Decollationis S. Joannis Baptista, Joannes de Struma, qui & à suis Callistus appellatus est, reatum suum agnoscens, montem Albanum deseruit, & apud Tusculanum occurrens ad pedes Papæ Alexandri cum quibusdam suis Clericis humilis, & devotus accessit, & in conspectu Cardinalium, & multorum se peccasse publicè confessus est, dicens: Domine venerande Papa, peccatum meum manifestè confiteor, & me auctoritate Imperiali contra DEUM, Sanctam Ecclesiam, & vos egisse cognosco, sed nunc reversus ad cor, delictum meum*

reco-

*Apud Baro-
nium ad an-
num 1178.*

recolo, & veniam à vestra pietate de-
 posco, omnem hæresim & schisma ab-
 juro, & vos in Dominum, & univer-
 salem Patrem totius Ecclesiæ devotus
 recipio. Quem Alexander Papa, ut
 erat pius & humilis, non objurgavit,
 vel reprehendit, sed secundum sibi
 innatam mansuetudinem benignè re-
 cepit dicens: Frater, gaudium est An-
 gelis super uno peccatore pœnitentiam
 agente. Quòd suggestione diabolicâ
 unitatem Ecclesiæ scindere voluisti,
 multum doluimus. Et quòd inspirante
 Domino ad ejus unitatem redire volui-
 sti, plurimum gaudemus. Romana Ec-
 clesiæ, quæ juxta JESU Christi magi-
 sterium, inimicos diligere consuevit,
 te hodie pœnitentem in filium recipit:
 & pro malis bona tibi retribuere pro-
 curabit. Hactenus Romualdus: ad-
 dicque deinceps ab Alexandro Joan-
 nem honorificè habitum & in curia,
 & in mensa; quin & Archi-Episco-
 patu Beneventano cohonestatus est.
 In actis Alexandri III. apud Baronium
 & Spondanum aterrimis coloribus
 depictus legitur hic Joannes, quali-
 bus nullus alius Pseudopontificum:
 at Romualdus nullum aliud crimen

4 STEPHANUS S.R.E. CARD.

illi ab Alexandro objectum memorat. Certè si talis fuisset, qualem Acta volunt non tam facili veniâ & conspectu, quàm odiò & opprobriis omnium mortalium dignus fuisset.

STEPHANUS

DE VANCHA, five VANCSA,
*Episcopus Vaciensis, Archi-Episcopus
Strigoniensis.*

S. R. E. CARDINALIS.

Stephanus nobilissimo loco in Hungaria procreatus est de natione Comitum Vanciorum, cujus quidem hodie stirps nulla superest. Vir fuerit apprime scientiis, & linguis instructus; quas exigebant legationes ad summos orbis Principes ab eo susceptæ. Hinc Ferdin. Ughel ait eum fuisse conspicuum honestissimis moribus, literarum scientiâ, ac prudentiâ præditum. Vaciensi Infulâ donatus à Bela IV. Hungarorum Rege, quam cum sollicitudine, & vigilantia non vulgari pluribus annis sustitituisse, sensim ad capeffendas fulgentiores sibi viam parabat. Infortunio tamen, & lamentabili aliorum Antistitum

stitum casu maximum in patria Episcopale Pedum ocyus apprehendit, quàm unquam sperare potuisset. Cæsi enim erant eâ tempestate majores Pannoniæ Præsules cruentissimo illo juxta ac funestissimo toti Hungariæ prælio, quod cum Tartaris Bela Rex ad amnem Sajóum commiserat. Occubuerunt illic Matthias Strigoniensis, Ugrius Colocensis, Gregorius Jaurinensis, Reinaldus Ultraflvanus, Adamus Nitriensis. Stephanus noster Vacienſis aberat, aut fugâ vitam servavit. Tum incertis sedibus errans apud Zagrabiam ex Austria adventantem Regem convenit: ubi æstatem reliquam, & autumnum, cum omnibus, qui se gladiis Tartarorum subtraxerant, exegit. Indurato autem glacie Danubio, Factâque Tartaris fluvium trajiciendi copiâ, Stephanus cum Bela Rege in Dalmatiam fugitivus concessit. Cujus & reliquorum ad oram Adriatici adventum, & Tartarorum Regis persequendi libidinem Thomas Archidiaconus Spalatensis Scriptor verax hâc oratione describit: *Itaque transacto Januario hyemalis asperitas solito magis inhorruit, omnisque aqua-*

Stephani tempore Tartari de- populantur Ungariam.

Stephanus cum Bela Rege venit in Dalmatiam 1242.

rum cursus glaciali frigore constrictus liberam viam hostibus patefecit. Tunc cruentus Dux Caydanus receptâ parte exercitûs Regem insecuturus exiit. Venit autem in multitudine gravi obvia quæque conculcans. Primò ergo concrematâ Budaliâ Strigonium accessit, cepitque villam totis viribus impugnare, quam non satis difficulter capiens, succendit, omnèsque in ea in ore gladii peremit, paucàsque manubias asportavit. Quoniam in munitiones editas res suas Ungari subverrant universas, inde discedens recto cursu devenit ad urbem Albensem, & continuo cuncta suburbana habitationis domicilia concremavit. Civitatem verò aliquot diebus obsessam factis insultibus invadere satagebat; sed quia locus circumfusâ palustrum aquarum copiâ satis erat munitus, quem optima latinorum presidia erectis undique machinis tuebantur, Dux impius vano frustratus labore discessit. Properabat autem Regem attingere, idcirco non tantam vastationem transcurrendo facere poterat, sed ad instar æstivæ grandinis ea duntaxat loca demoliti sunt, per que transitum habuerunt.

Ita

Thomas Ar-
ebidia. Spa-
lat. cap. 39.
in Historia
Salonitana.

Itaque antequam Dravi fluminis gurgitem transmearent, Rex presentiens eorum adventum, relictis stationibus Zagrabiensium partium, cum omni Comitatu suo ad mare descendit. Tunc diversi diversa quærentes diffugia, per omnes Civitates maritimas, quæ propiores videbantur ad fugam, dispersi sunt. Rex verò, & totus flos reliquorum Ungarorum ad Spalati partes devenit. Erant autem in Comitatu Regio multi Ecclesiarum Prælati, plures Principes, & Barones, reliquum verò vulgus utriusque sexûs, & ætatis pene innumerabile erat: appropinquante autem D. Rege, ad introitum Civitatis universus Clerus, & populus processionaliter exeuntes, debito venerationis obsequio susceperunt eum, dantes ei hospitia infra muros, quotquot voluit ipse. Venerunt etiam isti Magnates cum illo: Stephanus Episcopus Zagrabiensis, & alter Stephanus Vacciensis, & idem in Strigoniensem Archi-Episcopum postulatus, Benedictus Præpositus Albensis, Aulae Regiæ Cancellarius, & idem ad Colocensem Sedem electus, Bartholomæus Quinque-Ecclesiarum Episcopus, & quidam alii

Episcopi. Affuerunt nihilominus Hugrinus Præpositus Cesmen. Achilles Præpositus, Vincentius Præpositus, Thomas Præpositus, & alii quàm plures Prælati, quos enumerare supervacuum duximus. Proceres quoque Curia isti erant: Dionysius Banus, Uladislaus Comes Curialis, Matthæus Magister Tavernicorum, Rolandus Magister Agazonum, Demetrius, Mauritius, & alii multi Illustres Viri, omnes cum Dominabus, & familiis suis. Hæc ille. At neque hic Bela Rex cum reliquis Ungarorum satis securus erat: approinquante enim Barbaro, & pro mœnibus Dalmaticarum Urbium discursante, deposcentèque Ungaros ad necem ad insulas inaccessas se cum sua familia recipere coactus est. Ut verò tantis malis subsidium aliquod quæreret, properè Stephanum Vacientem Antistitè, & electum Metropolitam Strigoniensem ad Friidicum imperio dejectum, & in Urbem ablegavit, ut valida utrinque mitterentur auxilia, ne obrutâ à Tartaris Ungariâ, cætera res Christiana extremum periclitaretur. Sed vacente anno hoc, qui labebatur à Partu

Illi.

Stephanus mittitur Orator ad Friederic. & Roman.

Illibato 1242. Romanâ Sede, nihil in U. be impetrare potuit. Fridericus autem Imperator, ut ait laudatus Atchidiaconus, non tam de suppetiis quàm de larebris sollicitus erat. Totus namque occidentis ad immanitatem Barbarorum contremuerat, quasi jam jam cervicibus omnium imminerent. Bzovius autem anno superiore Stephanum ad Gregorium IX missum esse hisce perhibet:

Bela mox Stephanum Vacinesem Episcopum ad Romanum pontificem, & Fridericum misit. Indoluit Gregorius Pontifex ad tantam cladem religiosissimi nobilissimique Regni. Cùmque ipse calamitate quàm maximâ à Friderico premeretur, nec tanta, quanta deberet, & opus erat, auxilia posset submittere, consolatorias Bela, & Colomano Regi Haliciæ scripsit, eos sub protectionem Sedis Apostolica recipi: pro eis, eorumque Regnis atque Provinciis pugnantibus, vel pugnaturis indulgentias Cruce signatorum concessit, Prædicatoribusque, ut signatos armarent, commisit. Interim etiam addidit: Si Fridericus Imperator contrito & humili corde, assumpto penitu-

*Abrabamius
Bzovius An-
nal. Eccles.
ad annum
1241.*

dinis Spiritu ad manum Sedis Apostolicæ rediret, & ea, quæ ad honorem DEI, augmentum fidei Christianæ, quietem populi Christiani, & Ecclesiasticæ libertatis immunitatem pertinere videntur, formare vellet, Pacemque Ecclesiæ Regnis, & Imperio restitueret, facile sibi foret, etiam alia subsidia Regno Ungariæ submittere. Ita Bzovius. Hungari ergo frustra humanam opem expectabant; & periissent profectò stirpitis, nisi divina clementia modum & terminum furori, barbarico posuisset. Quamvis enim nemo, qui se eis opponeret in Illyrico reperi- tus fuerit, tamen solum vertere in- eunte Aprili constituerunt. Ex Croa- tia igitur, & Dalmatia egressi per- currerunt truculenti Bosniam, Ra- sciam, ac superiorem Dalmatiam, demum Bulgariam: quibus cognitis Rex in emortuam pene rediit Un- gariam. Uxorem tamen Mariam cum Stephano filio bimulo in arce Clif- fensi usque ad Septembrem reliquit. Non abs re fuerit hoc loco Belæ Re- gi Religiosissimo, & æquitatis longè tenacissimo aspersam maculam deter- gere, virumque optimum à calu- mniis

*Bela Rex
non fuit
causa exci-
dii Hunga-
riæ.*

mniis Scriptorum vindicare; qui calamitatem hanc, & vastitatem Ungariæ illius vitiis, ac arrogantia cum primis assignaverunt. Archidiaconus enim Spalatensis, qui cum hæc agerentur, causam diligenter scrutabatur, in subditos culpam transfert; cuius verba sunt: *Erant longa pace dissoluti, ab armorum asperitate desueti; & carnalibus gaudentes illecebris, ignava corpora marcebant: etenim terra Ungariæ bonis omnibus locuples, & sæcunda causam præstabat suis filiis ex rerum copia immoderatis deliciis delectari. Quod enim erat juvenalis ætatis studium, nisi polire cæsariem, cutem mundare, virilem habitum in muliebrem habitum mutare. Tota dies exquisitis conviviis aut mollibus expendebatur locis, nocturnos sopores vix horam diei tertiam terminabat. Cuncta quidem sue vitæ tempora in apricis sylvis, & amœnis pratis cum uxoribus transigentes, non de bellorum strepitu cogitare poterant, qui non seria, sed ludicra quotidie contractabant. Alteram quoque rationem excidii, & desolatinnis Ungariæ aliò loco non obscure significare videtur; sed modo*

Thomas
Arch. Spal.
c. 37. Causa
cladis à
Tartaris
vastata Un-
gariæ.

dò reddita ferè certa est, quàmque ipse Bela Rex exaggeratiùs in Diplomate dato Comitibus Vegliensibus protectoribus suis anno 1255. expressit, in quo hæc leguntur: *Ad universorum notitiam volumus pervenire, quòd cum propter scelera omnium hominum in regno nostro degentium, quæ instigante antiquo humani generis inimico, abundaverant, & plus quàm arena maris multiplicaverant, nolens DEUS eorum malitiam impune ulterius pertransire, rabiem Tartarica gentis excitavit, per quos potentiam suæ Deitatis gentis perfidæ ostenderet, & eos de terra deleret, propter quorum etiam peccata, à nobis suam misericordiam elongaverat, adeò, quòd per ipsos Tartaros in campestri prælio convicti, fugæ præsidio maritimas adiremus partes, & aquarum latibula quæreremus.* Punivit itaque DEUS & flagellavit Ungariam ob scelera populi ferro Tartarorum, flagellavit obortâ ex agris incultis fame ampliùs, mirè postremò flagellavit rabie luporum; qui teste eodem Archidiacono gregatim vagantes & grassantes soli humano generi noxii in domos palam irrumpebant,

Apud Joannem Lucium de Regibus Dalmat. & Croat. lib. 4. cap. 8.

pebant, liberos è matrum gremiis abripiebant, viros denique armatos quandóque discerpebant. Ista, occasione translati ad Metropolim Strigoniensem Stephani narrare visum est, ad notitiam & cautelam, metúmque posterorum.

Et si autem Stephanus fuerit postulat, ut loquuntur sacri Canones, ad Cathedram Strigoniensem anno 1242 tamen diffidentibus inter se Cardinalibus de subrogando Pontifice, approbationem ex Urbe obtinere continuo non potuit. Solemne verò est Regibus Ungariæ ex potestate Sedis Apostolicæ facta D. Stephano, & usu à primis ad Christum conversæ Hungaricæ nationes temporibus, Episcopos, quos libitum fuerit, diligere: quin eodem jure & Dalmatiæ ac aliis Provinciis quondam armis subactis Episcopos legebant, dabántque; id quod Historicorum testimoniis, aliisque argumentis planum fieri posse in confesso est. Graviter quidem hanc potestatem interdum tulerunt quidam Summorum Pontificum; quemadmodum apparet ex Epistola Innocentii III. ad Emericum Regem Ungariæ

Ungar. Reges Episcopos eligunt.

Apud Geor. Josephum Eggs, Purpura Doctæ lib. 1. Cardinal. Bramcaleon.

riæ data ; qui cum Leoni Brancaloni Cardinali ad Joannicum Bulgariae Principem, Regem creandum misso anno 1203. iter in Bulgariam interclussisset, reprehensus est paterno animo à Pontifice, objectaque est illi captivitas fratris Anderæ, & electio Prælatorum. Reperitur etiam apud Baronium decretum Stephani Regis, quo promittit se translationem Episcoporum non facturum, aut fieri permissurum sine auctoritate consiliove Principis Ecclesiæ: sed hoc accipiendum est, uti diximus, de approbatione. Orta quoque fuerat controversia ætate Petri Pazmanni S. R. E. Cardinalis & Archiep. Strigonienf. circa electionem hodiernam Episcoporum Dalmatiæ, & aliorum Regnorum S. Coronæ; quam vir ille sapientissimus, & rerum Hungaricarum peritissimus pluribus argumentis monstravit Regibus Ungariæ Apostolicis omnino competere.

*Stephanus
fit Cardina-
lis Prænesti-
nus.*

Sed ne longius à Stephano Vancha abeamus; is ab Innocentio IV. assensum impetravit anno 1244. ut relictâ Vaciensi Strigonienfem Ecclesiam administrare pergat; quam cum
fan.

sanctè ac providè ipsos duodecim annos rexisset, ad Purpuram Romanam ac Prænestinam assumptus est anno 1252. Pontificatûs nono juxta Ciaconium, vel 1253. juxta Panvinium Pontificatûs decimo. Ex Ungaria in urbem ad capeffenda purpuratæ dignitatis insignia mortuo Alexandro IV. abiit, eaque capeffivit ab eodem Pontifice. Quâ ratione hæc felicitas ei provenit, non habeo quidem pro comperto; si tamen conjecturam licet facere, legationem tunc obibat ad eum ipsum universalè Christianorum Patrem, ut extingverentur similtates, quæ gliscere cæperant inter Principes Ungariæ. Bzovius siquidem scribit ad annum 1251. inter eos dissidia intercessisse, eò quòd Bela Rex & Pater, Stephanum filium, & Ducem, Cumanorum quadam consuetudine delectatus, negligisse videretur. Laboravit proinde Innocentius missò nunciò Belam Regem à turpitudine illa revocare, & filium ei conciliare. Dissidiis ex sententia compositis Romam iverit Vancha reconciliationis nuncius, aut quocunque tandem modo fortuna

Ex M. S. à viro erudito comunicat. Discordia inter Reges Hungariæ

tuna benigniore eum complectente, amplissimo hujus orbis Ordini fanè adscriptus est: tum autem ordinatis in Pannonia rebus, Romam, sicut exigebat ratio dignitatis & magistratûs, migravit: ubi cùm aliquamdiu inculpatè vixisset, & non mediocrem erga cultum divinum curam & sollicitudinem præsetulisset, ab Urbano hujus nominis IV. Papa Religioni D. Claræ paucis antè annis natæ datus est Protector. Non tamen ei concessum est continenter Romæ degere. Nam similtates inter Belam & Stephanum (vivente patre anno 1255. Ungariæ unctum Regem) aut recruduerant, aut novæ exortæ sunt sub annum 1261. Stephanus enim longè majoris quàm pater animi, & bellicæ gloriæ appetentior, vix dum annos natus octodecim, ducebat exercitus, Belâ in republica administranda occupato: quo factum est, ut assentatione militum & populi, Patrem ad privatam vitam redigere voluerit. Ad arma jam convolârant ambæ partes, prælium tamen confertum non est: qua de causa significat Maria Regina hâc Epistola:

Steph. Cardin. fit Protector. Ord. S. Clara.

Ia: Reverendis in Christo Fratribus, *Sigismund.*
 Generali Ordinis Prædicatorum, & *Ferrer. de*
 Definitoribus Capituli Generalis, Ma- *rebus Hun.*
 ria DEI gratiâ Hungariæ Regina & *Prov. Præd.*
 Christi famula amoris vinculum. & *Part. 2. lib.*
 devotam reverentiam. Etsi plurima *2. cap. 7.*
 miracula, atque prodigia, quæ per F. M.
 Fratris Joannis Episcopi Bossinensis Ge-
 neralis Ordinis vestri merita ab homi-
 nibus vulgo facta commemorantur, ego
 singillatim describere non valeo: unum
 tamen quod ejusdem meritis in me fa-
 ctum est, nolo cum reliquis silentio
 præterire. Sciatis igitur, quod cum
 perfidorum subditorum suasionem inter
 dilectissimum mihi Belam Regem Un-
 garie, Dominumque meum ex una parte,
 & charissimum filium nostrum Regem
 Stephanum ex alia, magna esset coorta
 discordia, ita ut ad manus conferen-
 das dispositi ex utraque parte exerci-
 tus jam essent à regione constituti: ego,
 utpote mater, utrinque afflictæ, &
 maximo metu perculsa, dicti Fratris
 Joannis opem imploravi. Qui eadem
 ipsa nocte cum alio bonæ memoriæ Fra-
 tre Gerardo, Priore ejusdem Ordinis
 mihi apparuit: cumque in tanta angu-
 stia, ut mihi prænominatum filium v. e.

um redderent, vehementer orarem, ipse Frater Joannes, impresso super me signo crucis, dixit: en tibi filium tuum ut optas, restituimus. Itaque tunc è somno excitata, quantum mea fragilitas tulit, JESU Christo Domino nostro, & Gloriosa Virgini, ut parerat, gratias egi. Die verò illucescente pervenit ad me cursor cum literis Regis Ungariae Domini mei, quibus significabat Regem Stephanum filium meum se omnino Patri dedidisse, paratum efficere, quidquid illi collibuisse. Verum tamen non illico diffidia penitus sublata sunt, quin plures annos continuabant, quanquam ab armis discessum fuerit, & pax procuraretur, quæ quidem plenè non potuit coalescere, antequam Pontificis Max. jussu Stephanus Cardinalis Prænestinus, utens semper titulo Archi-Episcopi Strigoniensis, creatus per Ungariam, & Sclavoniam Sedis Apostolicæ Legatus, natale solum repetivisset; qui demum persuasit facundiâ suâ Regibus, ut in pristinam redirent gratiam. De concordia ista hæc habet Bzovius: *In Ungaria post diuturna inter Belam Regem Patrem, & Stephanum filium Regem*

*Stephanus
Cardinalis
Orator in
Ungaria.
Componit
Discordes
Reges.*

*Abrabam.
Bzovius in
Annalib.*

gem

*gem dissidia, pace, & concordia stabili- Eccl'es. ad
litâ, conditiones ejusdem, in Insula ann. 1266.*

B. V. MARIÆ (sive Leporum, in qua non raro habitabant hi Reges) die 9.

Martii anni præsentis 1266. Indictione 9. instrumentum publicum à Philippo

*Strigoniensi Archi-Episcopo Regis cu-
le Cancellario, ad preces utriusque Re-*

*gis, Papa Clemens ad æternam rei me-
moriam hoc ipso anno, 10. Calend. Ju-*

*lii Viterbii confirmavit: donationemq;
aliquorum bonorum Reginae uxori Bela*

*consensu Stephani filii factam, in per-
petuum approbavit indidem 12. Ca-*

*tend. Julii. Quamvis autem Bzovi-
us nunquam meminerit Stephani Car-*

*dinalis Legati, tamen ex aliis monu-
mentis ipsum in Ungariam rediisse*

*eam præcipuè ob causam, indubita-
tum est. Ferd. Ughel ait, quòd ad Stri-*

*goniensem Sedem ipse remitti se po-
stulârit. Addit eum certis legibus de-*

*rum obtinuisse, ut cum Archi-Epi-
scopatu Strigoniensi Prænestinum Epi-*

*scopatum, & Cardinalis dignitatem
retineret. Legationes plurimas ges-*

*sit, Ungaricam præcipuè, ac Sclavo-
nicam, in qua Belam Regem anathe-*

mate percussit: unde Bela per literas

Innocentium IV. rogavit, ut se ac regnum suum à censuris Episcopi Prænestini solveret. Affuit Romæ consecrationi altarium in Sanctæ Agnetis Ecclesia actæ anno 1254. ut in epigraphæ legitur: nec non dedicationi S. Lucæ, ac Martini in foro Boario, anno 1257. Affuit electioni Urbani IV. Clementis IV. Romanorum Pontificum, quorum literis quàm plurimis subscripsit. Gravibus denique pro Ecclesia DEI exhaustis laboribus confectus Stephanus Cardinalis jam grandis natu diem clausit extremum, seu in Patria, sive in Italia, quod incertum est, cum vixisset ad annum 1269. Laudatus Ughel eum ultra annum 1266. in vivis extitisse non arbitratur. Qui Cardinali creato, in Archi-episcopatum successit idem cum Stephano in Ungariam redeunte Archi-Præfulis Strigoniensis titulum retinuit. Stephani familia floruit in Ungaria ad Sæculum Christi quintum & decimum.

BERTHRANDUS

S. R. E. CARDINALIS.

PRÆPOSITUS VARADINENSIS.

DE hoc homine, quod sciam nihil extat, præterquam nomen, & dignitas; nisi fortasse esset Berthrandus Deucius nobilis Gallus, qui anno 1346. mandato Clementis Papæ profectus erat in Regnum Neapolitanum, ut in auctores cædis Andreæ Regis Neapolitani Fratris Ludovici Regis Ungariæ inquireret, & Regicidas anathemate defigeret; ac proinde rerum Ungaricarum & Neapolitanarum conscius fuit. Reperitur autem in literis erectionis cœnobii S. Annæ Ordinis Sanctæ Claræ apud Varadinum, quam fecit Andreas loci Antistes 1342.

Georg. Jos. Eggs, Pur. doct. in Cardinal. Deucio.

DEMETRIUS

S. R. E. CARDINALIS,

ET ARCHIEPISCOPUS

STRIGONIENSIS.

Demetrii domum, patriam, natalémque nusquam invenire potui. A Ludovico I Rege Ung. dictus

Ex Catalogis P. Martini. Szent-

B 3

Epi-

*Iohanni, alii-
sq; instru-
mentis.*

Episcopus primùm Sirmii, mox Vara-
dini; cujus loci plus annis viginti exi-
mia cum laude gubernavit Ecclesiam:
tum transit ad Cathedram Zagrabi-
ensem, ut Italiæ vicinior Regis ne-
gotia, ubi habebat permulta, com-
modiùs curaret: imò & Orator mis-
sus est à Ludovico ad Urbanum Pon-
tificem Max. quæ quidem mea con-
jectura est, non tamen vana. Ab eo-
dem namque Pontifice in sacrum Col-
legium titulo SS. quatuor Coronato-
rum cooptatus est. Demùm ex hu-
manis erepto Thomâ Metropolitâ, dis-
pensante Urbano Strigoniensi Sedi
præesse, & Aulæ Regiæ Cancellarij
munia obire iussus est annò à partu
Virginis 1379. Nondum enim Sum-
mi Cancellarij, & Secretarij dignitas
in usu erat. His tam splendidis,
támque insignibus honoribus ornatus
& cumulatus Demetrius, Pallio Ar-
chi-Episcopali, & Purpurâ ad inanem
ostentationem adedò usus non est, ut
paucis, quibus vixit deinceps annis,
plura eaque clara ediderit facinora.
Inter cætera primò locò memorabile,
quòd corpus S. Pauli primi Eremitæ
post diuturnum cum Venetis bellum

*Fit Cardi-
nalis.*

*Sigismun-
dus Ferrar.*

Ludovico Regi ab Andrea Contareno Venetiarum Duce datum in Ungariam 19. Kalend. Decemb. anni 1381. advectum, in templum S. Laurentii, Ord. S. Pauli supra Budam solenni processu ac ceremoniis tulerit: ubi illud multis annis magnâ populorum frequentiâ, ac pietate colebatur. Mox sequente anno, qui fuit à Christo nato 1382. è vivis sublatô Tyrnaviæ Ludovicô, Mariam seniore[m] filiam (quæ supremis patris tabulis, & meritis animos Ungarorum Procerum moverat, ut sibi Imperii summam deferrent) cum omni potestate in Reginam festâ omnium acclamatione unxit. Nondum bienniô exactô, teste Martino Cromero, expeditionem in Poloniâ cum Sigismundo Marchione postea Imperatore suscepit ad reprimendam audaciam Zemoviti, qui defuncto Ludovico Rege Sceptum Regni illius, usurpaverat contra jus filiarum Regiarum, Mariæ, ac Hedvigis. Demetrius itaque Cardinalis, & Sigismundus cum exercitu 12. millium ab Elisabetha Vidua ad compescendos Zemoviti conatus missi sunt. Per Radomiensem agrum, pacato agmine

Demetrius Mariam coronat, expeditione ejusdem in Polon. Martinus Cromerus lib. 14. Hist. Polon.

ne Maloviam Poloni pariter atque Ungari ingressi, Zemovito nusquam faciente pugnandi copiam, ditionem ejus acerbè igne ferròque ultor exercitus vastavit. Dum hæc in Polonia gererentur, Ungari pertæsi Reginarum gubernium, sæmineique impatientes Imperii, præsertim quòd res penè omnis ad arbitrium unius Nicolai Garæ Palatini redacta esset, post simultates, & arcana odia, in manifestam tandem defectionem eruperunt. Perfidia initium sumpsit, à remotioribus Croatiae & Dalmatiæ partibus Italiæ vicinis, & præcipuè à Paulo Episcopo Zagrabiensi Italo, favore Ludovici ad hanc dignitatem posito, Stephano item Simonthornatio, Joanne Croatiae Bano, & Joanne Crucigero Equite Auranaeque Antistite, qui omnes plurimis aliis (ut est sæcunda seditionum materia) in suam partem attractis, de Carolo Dyrrachio Neapolitanorum Rege in Ungariam ad Regnum evocando concludunt, réque silentio obductâ decernunt Episcopum Zagrabiensem ablegandum in Italiam; quam ille factionis Princeps legationem, sub specie

*Carolus
Dyrrachius
nepos
Caroli II Sici-
liæ & Nea-
polis Regis,
Ludovici
Dyrrachii*

cie singularis devotionis, votique ex-
 oivendi causâ Romam se proficisci
 simulando promptè suscepit. Caro-
 lus, cognomentô parvus, etsi in Ita-
 lia multis Hungarico Marte partis vi-
 ctoriis clarus, Rex amplitudine uni-
 us Regni Neapolitani, à Ludovico
 Rege & Pontifice Romano sibi do-
 nati, si æquò libramentô rem pensâs-
 set, forte contentus esse potuisset;
 tamen dominandi libidine accensus,
 ac specie & amicis frustra dissuaden-
 tibus, iniquis auspiciis venit, & pri-
 mùm sub prætextu conciliandi discor-
 des animos Ungarorum, visendique
 Mariam Reginam, & componendi
 simultates ortas inter eam ac Proce-
 res Budam ingreditur. Verùm ani-
 mum ambitiosâ modestiâ, & vela-
 mentô tectum tandem prodidit, quan-
 do comitiis universalibus Regni in-
 dictis, sub Gubernatoris nomine ac
 titulo Sedem Regiam occupavit;
 Reginam Mariam jure Regni potiori
 Procerum consensu gaudentem, in-
 que Reginâ Ungariæ proclamatâ, ob
 imbecillitatē sequioris sexûs apud Un-
 garos traductâ, Regno se abdicare, &
 ad privatâ redire fortunâ coëgit, maxi-

*filius Rex
 Neapolis,
 Ludovici
 quondam
 Regis Hun-
 gariæ cogna-
 tus in Pan-
 noniam evo-
 catur.*

*Carolus à
Demetrio
Rex corona-
natur.*

*Petrus de
Rewa re-
rum Hun-
garicarum
centur. V.
Bonfinius
Turocius*

*Malo omni-
ne corona-
tus Carolus
Rex Neap.*

mo cum vilipendio gestorum meriti-
tissimi de Regno Ungariæ Ludovicis
quorum nempe intuitu inauguratio
Mariæ facta fuerat: Itaque proce-
rum conjuratorum ferè autoritate
ac impulsu Rex eligitur, & sacrâ Co-
ronâ per Demetrium nostrum capiti
impositâ, Rex inauguratur. Ut enim
Carolus neglecta pietate, & chari-
tate in cognatam suam, quam na-
tura, & jus sanguinis postulabat, &
Ludovici Regis maximæ virtutes, ac
meritorum ratio exigebat, facinore
incredibili & abominando (ut Petrus
de Rewa Comes Turociensis in sua
de Monarchia, & sacra Corona Re-
gni Ungariæ Historia loquitur) eam
Regno spoliare ausus est; sic pro mi-
nimo duxit hanc sacræ Coronæ di-
gnitaté Superûm indignatione, & ho-
minum apprehendere, quod non ni-
si fato suo lamentabili deinceps ex-
piavit. Ac occultavit tantisper san-
cta Corona suam vim, dum certò
prodigiò divinitus ostensum est, in-
auspicatò coronatum fuisse Carolum.

Cùm enim è templo prodeunti ex
more veteri Regum Ungariæ, pera-
cta coronatione, D. Stephani vexil-
lum

lum cum cæteris expansis Regnorum insignibus præferretur, idque arduum, & sublime jactaretur, ad postes templi sensim illisum in varias partes laceratum concidit; vera talis prodigii interpretatione, quòd DEUS, jus S. Coronæ malò dolò occupatù gravatè ferret, & sequentem facti prodigiosi calamitatè, velut pœnam scele- ris irrogaret. Nec mirum Lectori videbitur, Carolum hunc tam infau- sto omine Regni Diadema suscepisse, si à communione fidelium ab Urbano VI. Pontifice Max. anno 1383. segregatum fuisse intellexerit: rem altius, ut posterorum memoriæ commende- tur, ex Georgio Josepho Eggisio re- peto.

„ Annò 1383. principiò mensis Ma- *Georgius*
 „ ji, Urbanus Pontifex ad evitandum *Josephus*
 „ pestilentiaè in Urbe grassantis peri- *Eggs Pur-*
 „ culum primò Tibur; deinde Nea- *puræ Doct.*
 „ polim petiit, tum ut turbatum Bel- *lib. 2. in*
 „ lù Regnum stabiliret, tum ut pro- *Cardinale*
 „ missos à Carolo III. Rege in sua in- *Roberto*
 „ auguratione Nepoti suo Francisco *Gebenensè.*
 „ Butillo Principatus Capuanum &
 „ Amalphanum (quorum traditio
 „ nem Carolus plus æquo differebat)

„ vin-

„ vindicaret. Iter eò suscepit, quam-
 „ vis à nonnullis Cardinalibus, & Præ-
 „ latis id ei maximè dissuaderetur,
 „ ipsèque Carolus Rex ejus sibi ad-
 „ ventum minimè gratum fore, non
 „ dissimulanter per literas doceret.
 „ Processit tamen, & post aliquas in-
 „ itinere moras Averfam pervenit ini-
 „ tium mensis Octobris. Ejus appro-
 „ pinguationem cum audivisset Caro-
 „ lus, qui tum in longè distitis locis
 „ adversus Ludovicum Andegaven-
 „ sem occupatus detinebatur, abru-
 „ ptis negotiis advolan in occur-
 „ sum, præsentem habuit extra Ur-
 „ bem Averfam. Solutis mutuæ sa-
 „ lutationis officiis, Rex frænum
 „ equi, cui insidebat Pontifex, manu
 „ prehensens, stratoris munere fun-
 „ ctus est usque ad Urbis introitum.
 „ Urbem ingressum Pontificem, cum
 „ vellet Rex in Arcem peramplam &
 „ commodam hospitii causâ dedu-
 „ cere, abnuvit ille veritus, quod res
 „ erat, ne sibi deinceps liberum non
 „ foret inde egredi: Sed ad ædes
 „ Episcopi sibi pro diversorio paratas
 „ concessit. Rebus sequenti die quie-
 „ tè procedentibus, nocte intempe-
 „ stâ

Carolus Ur-
banus Pon-
tif. Averfâ
in lucit, post
Neapolim.

„ stâ misit Carolus, qui eum in arcem
 „ invitarent, reuentem obsequi per-
 „ traherent. Ductus itaque invitus,
 „ & perducentes incasum excom-
 „ municans, detentus est ibi quinque
 „ diebus, cunctis extra ignorantibus,
 „ quid intus cum eo ageretur. Sunt
 „ qui scribant illum ibi compulsum
 „ fuisse revocare condiciones omnes,
 „ quibus Regnum Neapolitanum Ca-
 „ rolo concesserat. Post hæc liber-
 „ tate donatus Neapolim concedens,
 „ à Carolo, qui præcesserat superbè
 „ magis, quàm decenter exceptus
 „ est. Siquidem in throno eminenti,
 „ ante portam Civitatis sibi erecto,
 „ coronâ aliisque insignibus Regiis
 „ ornatus inter circumfusos Proceres
 „ confidens, non priùs se movit,
 „ quàm ad locum Pontifex ipse per-
 „ venisset: tum verò se erigens pau-
 „ lulùmque in occursum procedens,
 „ Pontificis in equo confidentis pe-
 „ des exosculatus est, & Pontifex vi-
 „ cissim ex equo frontem ejus. Nullo
 „ alio honore à Neapolitanis ei exhi-
 „ bito prohibente Rege, ab eodem
 „ tantùm deductus est per frænum
 „ equi in Urbem. Qui cum vellet
 „ ad

„ ad ædes Archi-Episcopales diver-
 „ tere, à Rege prohibitus, inque ca-
 „ stellum novum raptus, multis ibi
 „ diebus sub fideli custodia detentus
 „ fuit, haud tamen prohibitis, qui ad
 „ eum visitationis causâ accedere vela-
 „ lent. Demùm quorundam Proce-
 „ rum, ac Urbis Magistratûs inter-
 „ ventu, in itâ inter eos concordia,
 „ Rex publicè præteritorum veniam
 „ deprecatus, promissa Francisco Bu-
 „ tillo nepoti in causa collati Regni
 „ facta adimplere spondit; ac Pon-
 „ tificem in ædes Archi-Episcopales
 „ migrare; & à populo debitis hono-
 „ ribus recipi colique permisit. Eo
 „ in loco constitutus sæpiusque à Re-
 „ ge & Regina salutatus, supressô ad
 „ tempus odiô, pacem cum utroque
 „ simulavit.

Pontifex
Ludovicus
Andegaven-
sem excommu-
nicaat.

„ His factis pridie Nativitatis Do-
 „ mini 1383. in Ecclesiam principem
 „ cum Ecclesiasticis suis se conferens,
 „ primas ibi vesperas pontificali cele-
 „ britate intonuit; & Kalendis Janu-
 „ arii aâni sequentis 1384. Missam in ara
 „ maxima præsentibus Rege, & Regi-
 „ na, Regniq; Proceribus & Populis,
 „ splendidissimo apparatu decantavit,
 „ at-

„ atque inter ipsa Missæ solennia Lu-
 „ dovicum Andegavensem publico
 „ anathemate defixit, quòd instinctu
 „ Clementis Antipapæ Regnum Nea-
 „ politanum armato milite invasisset.
 „ In hunc sacram militiam indixit,
 „ reclusòque Ecclesiæ thesaurò omni-
 „ bus adversus eum arma sumentibus
 „ cunctorum veniam peccatorum in-
 „ dulsit, denominato ad hanc expe-
 „ ditionem Ecclesiæ Antesignano Ca-
 „ rolo Rege Neapolitano, quem ve-
 „ xillo in hunc finem à se benedicto
 „ ex ritu Pontificio, donavit.

„ His peractis dum sensim apud Ca-
 „ rolum hominem ambitiosum & flu-
 „ xæ fidei vilescere cœpisset, insidi-
 „ ásque sibi parari haud vanis indiciis
 „ animadvertisset: simulato hæcte-
 „ nus dolori, & vindictæ fræna laxatu-
 „ rus Neapoli Luceriam Urbem Pon-
 „ tificiam digressus est. Ibi convo-
 „ cato pro concione Clero, Magi-
 „ stratu, & populo, prolixâ oratione
 „ conjurationem à quibusdam Car-
 „ dinalibus in se conceptam, vincto-
 „ rumque confessione detectam (cu-
 „ jus præcipuus Architectus Bartho-
 „ lomæus dictus de Media Vacca Car-
 „ dina-

*Pontifex
 Carolo Dyr-
 rach. indi-
 gnatur.*

*Urbanus
Pontifex
Carolus
cum uxore
excommunicat.*

„dinalis Reatinus prodebat) ape-
 „ruit, convocatis in culpam ipso eti-
 „am Carolo Rege, & Regina paulò
 „ante ad tantam dignitatem à se e-
 „vectis. Igitur erecta cruce, &
 „candelis accensis eosdem Regem
 „& Reginam, Reatinum sexque ali-
 „os Cardinales Gallos, nec non Ro-
 „bertum, seu Clementem Antipa-
 „pam, ejusdem Pseudo-Cardinales,
 „collusores & affectas fidelium com-
 „munionem removit: Regem ac Re-
 „ginam Regiis titulis ac Regno pri-
 „vatos exauthoravit, subditò que fi-
 „delitatis Sacramento exolvit: Car-
 „dinales & Prælatos, Clementis fau-
 „tores, Sacerdotiis ac dignitatibus
 „spoliavit; Urbem Neapolitanam Ec-
 „clesiastico interdicto supposuit, in-
 „que horum omnium contestatio-
 „nem & argumentum candelas ar-
 „dentes, suo ore difflatas, & extin-
 „ctas in terram projecit, projectas-
 „que irato pede tanquam execratas,
 „contrivit. Magnæ hinc turbæ; si-
 „quidem in furias (teste Niemo) actus
 „Carolus, Prælatos omnes, & Cleri-
 „cos, qui Neapoli partes Urbanifo-
 „vere detecti sunt, comprehendi,
 „, car-

„ carceribus includi, tormentis cru-
 „ ciari, eorúmque aliquos in mare
 „ præcipites dari præcepit.

„ Rebus itaque hoc modo inter
 „ Pontificem iracundum, & Regem
 „ ingratum procedentibus, cum ante
 „ latam in Regem excommunicatio-
 „ nis & privationis sententiam, præ-
 „ misisset Pontifex trinam de more
 „ citationem, Rex ut facilius ei re-
 „ sponderet (sicuti dicebat) collecto
 „ celeriter justo exercitu, cui Rea-
 „ tinum Cardinalem præfecerat, Lu-
 „ ceriam arctâ obsidione cinxit. Il-
 „ la admotis undique machinis diù
 „ pulsata, turribus dejectis, muróque
 „ perforatò fœdè hians, cum resisten-
 „ do, arcendóque hosti impar esset,
 „ capta direpta est: Arce, in qua Pon-
 „ tifex gravi penuriâ pressus detine-
 „ batur, intactâ relictâ. Qui interim
 „ armis usus Pontificiis, ter singulis
 „ diebus è fenestra arcis cum tintin-
 „ nabulo, & candelis accensis, exer-
 „ citui Caroli maledicebat. Unde
 „ moti Neapolitani Cives Carolum
 „ de pace ineunda sollicitârunt, &
 „ eo licet annuente, res tamen ef-
 „ fectu caruit, adversariorum impro-

*Urbanus
 Caroli exer-
 citui male-
 dicit.*

„ bitate, sperantium Urbanum omni
 „ ope destitutum, brevi in manus suas
 „ perventurum; quem si fortuna de-
 „ disse, deponere, aliúmque in lo-
 „ cum ejus sufficere constituerant.
 „ Verùm Urbanus suis & ipse rebus
 „ prospiciens (ut erat in adversis in-
 „ geniosus) rogatis clam per subor-
 „ natos nuntios Genuensibus, decem
 „ ab iis triremes, quarum beneficiò
 „ de nocte dilaberetur, pretiò impe-
 „ travit. His intento, atque effugia
 „ meditati opportunè in auxilium
 „ veniunt Raymundus de Baucio fi-
 „ lius Comitis Nolani, & Thomas
 „ Sanseverinas egregii belli Duces,
 „ factionis Andegavensis, qui colla-
 „ tis cum hoste signis Reatinum in-
 „ genti editâ strage in fugam conji-
 „ ciunt; atque adè solutâ obsidione
 „ Pontificem in libertatem asserunt.
 Hucusque Author, quem pridem no-
 minavi. Fausti tamen aliquibus Ca-
 roli Dyrrachii videbantur progressus,
 ast luctuosus, quem anno 1385. in Un-
 garia habuit exitus, comprobavit,
 malè Regnorum habenas capeffere
 illum, qui contra fas humana æquè
 ac divina ingratus contemnit. Regi-
 næ

hæ enim, violatione Sacramenti, simu-
 latione patrocini, injuriæque sangui-
 nis spreti haud parùm læsæ, consiliò
 cum Nicolao Gara communicatò,
 arte ad amicum colloquium vocato
 Carolo exitium machinata sunt: quip-
 pe ex improvise unus de famulitio ea-
 rum Regem luculento vulnere affe-
 cit; quò non curatò, nullòque pla-
 gæ pharmacò inditò, Vissegradi ex-
 tinctus, triste Regalis calamitatis spe-
 ctaculum fuit. Atque hoc pacto Ca-
 rolus Dyrrachus unò Regnò non exa-
 turatus, alterique inhians, neutò
 fruitus est. Totius rei gestæ se iè n-
 paucis enarrat Carestinus, ubi hæc
 habet: *Elisabeth Regina uxor dicti*
Regis Ludovici unà cum Maria filia ejus
regimen Hungaria gubernabat, quæ
quidem Maria appellabatur Rex Hun-
gariæ. Jam dictus Carolus ad suasio-
nem Hungarorum, & Dalmaticorum
non contentantium se de regimine Ma-
riæ supradietæ, & Sigismundi sponsi
ejus, se transtulit cum duabus galeis
ad partes Dalmatiæ, inde in Hunga-
riam, ubi extitit de eodem Regno diro
omine coronatus. Nam paucis diebus
interjectis in Camera præfatarum Re-

Carolus
Dyrrachi-
us occidi-
tur.

Apud Joann-
em Luci-
um de Re-
gno Dalm-
& Croatia
l. 5. p. 258.

ginarum confidenter existens, fuit à quodam lethaliter gladiò in capite vulneratus. Tandem amifsò oculò, vitam retinebat, quæ quomodocunque fuerit, extitit sibi immaniter ablata. Sic non contentus unò Regnò utrumque cum vita amisit.

Reginæ periculò & ignominiâ per crimen, an per virtutem exemptæ, non disquiro, ut tandem Polonorum in fide nutantium cupiditatem, quâ erga Hedvigem ardebant, extinguerent; Principem desideratam illis dare decreverunt, quò per ejus quoque imperium contra insultus, si qui rursus ingruerent, sibi prospectum atque consultum pergerent. Aderat iis diebus Budæ Sendivojus Sabinus nobilis Polonus, ut privatus quidem, sed qui plus quàm publicus Orator rem Polonorum egerit. Decreta igitur Hedvigis in Poloniam profectio-
ne, adhuc altera cura tam Reginas, quàm optimates coquebat; quæsitumque diutiùs, qui pro dignitate deducendæ in Poloniam Hedvigis provinciam susciperet, sustinerétque? occurrebant quidem multi, sed nemo aptior ad hunc comitatum visus est

*Demetrius
ducit Hed-
vigem in
Poloniam.*

Cardinale Demetrio, ut qui jam olim Regi Ludovico ob eximiam fidem, candorem, consilium, religionem in paucis charus erat. Comparatis itaque, quæ ad iter non modò necessaria erant, sed ad ornatum quoque faciebant, Joanne Episcopo Chana- diensi, multisque aliis è primaria nobilitate comitibus, Cardinalis in Poloniam cum Hedvige concessit. Ad cujus adventûs famam exciti Polono- rum Proceres cum frequenti Nobilitate Cracoviam accurrêre, ubi honorificè cum perampla ac splendida aurea, & argentea, & stragulæ vestis supellectili, quali decebat tanti Regis filiam, idibus Octobris 1384. qui dies memoriæ Divæ Hedvigis Legni- censis apud Polonos festus est, Regina Poloniæ renunciata, & à Bo- zenta Episcopo solenni ritu inuncta, & coronata est.

Martinus Cromer lib. cit.

Hedvigis filia Ludovici R. coronatur Regina Polonia.

At verò Reginae Ungariæ fiducia melioris fortunæ resumptâ, quasi in tuto positæ, victoriâ de omnibus hostibus sibi certò destinatâ triumphare se putabant; cùm ecce insperatò cœcæ fortunæ vindicantis abreptæ turbine, ac miserabili casu involutæ,

à perduellibus Croatis, quorum Princeps fuit Joannes Croatiae Banus in Dalmatiam iter facientes, ipsæ duram captivitatem subiêre; Gara autem mille telis confossus cum Blasio Forgachio occubuit. Tum etiam Elisabetha senior ceu magis rea in arce Crupensi, ut Ungariæ Historici volunt, ut Carestinus & Paulus de Paulo scribunt, Novigradi seu Castrinovi barbarum in modum è medio sublata est. Maria verò post carcerem diuturnum, denuò ad Imperium restituta, ac pristino decori reddita est; quod ita contigisse Historici memorant.

Demetrius coronat Sigismundum Regem.

Post Mariam, & Carolum infausto omine coronatos, feliciori auspicio Sigismundum Marchionem postea Imperatorem, Mariæ Reginae, quæ adhuc in carcere gemebat (ut habet Carestinus) sponsum, Sacro Regni Diademate Demetrius Cardinalis 1387. 31. Martii Dominicâ Palmarum magno apparatu & lætitiâ insignivit, idque studiò atque operâ Ducalis Venetorum Domini, quòd quasi immemor plurium incommodorum per Ludovicum olim Ungariæ Regem
in

in recuperatione Dalmatiæ sibi illatorum, abhorrens, suâ sponte execrabilem nequitiam, & læsæ Majestatis crimen commissum per subditos, adversus suas Dominas ac Principes, Legatum misit Nobilem Venetum, Pantaleonem Barbonem in Ungariam, illique enixè commendavit, ut Barones Regniq̃ue Primores adhortaretur, nè ultra Regnum tot in factiones scindi paterentur. Longior equidem fuit, illius in Ungaria mora, sed utilissima ad Regni totius tranquillitatem, & Venetorum Reipublicæ non mediocrem hac in re commendationem. Suis enim gravissimis rationibus Regni Proceres Barbo permovit, ut Regem Ungariæ Sigismundum acclamarent, crearéntque, quod ut diximus, magno omnium applausu contigit. Atque tum *Paulus de Paulo in memoriali.* Maria Regina ex custodia liberata est, ut scribunt Historici hujus ætatis, & finitimarum Provinciarum Carestinus ac Paulus de Paulo.

Ex recensitis hæcenus vicissitudinibus ac tempestatibus postquam eluctata est Ungaria, Demetrio pace, *Demetrii obitus.* rarâ hujus soli beatitudine, diu frui

non licuit. Nam provectæ jam ætatis vir, consumptusque fatigiis, Patriæ, Reique publicæ, atque Ecclesiæ multum proficius, mortalitatem explevit annò, quò ornavit Diademate Regio Sigismundum, aut certè sequentis initiò. Successit ei in Cathedra Strigoniensi Joannes de Kanisa, ex clarissima, ac vetustissima Osliorum gente, qui 1393. primus ex Archi-Episcopis Strigoniensibus Summus Regni Ungariæ Cancellarius à Rege nominari, & esse meruit. Cæterum ad reliqua laudum insignia Demetrii accedit, quòd cum adhuc gestasset Infulam Zagrabiensem, Hercules ille Ungariæ Joannes Huniades in ejus clientela, & familiaribus fuerit. Concessit etiam Demetrius Vespriemensi templo Virginum DEO Sacratarum Ordin. Cisterciensis annò 1386. dierum 180. reatus pro culpis admittis remissionem. Postremò neque sanguinis sui locupletandi, atque ad altiora promovendi oblitus erat. Nam Philippo germano suo plures possessiones à Ludovico Rege impetraverat. Martinus Szent-Ivanus hoc ipsum cohonestavit elogiò:

Pri-

Primus ex Ungaria Regibus Casarena (futurum) coronavit multasque leges condidit, & statuta posuit, pro discipline Ecclesiastica observatione. Nominatim coactâ annô MCCCLXXII. Synodô Strigonii decrevit, ut Archidiaconi Parochorum, & animarum, quas Parochi Divinis mysteriis procurant, Episcopi Abbatum, Præpositorum, Canonicorum, aliorumque, quot quot Sacerdotia obtinent, syllabum conficiant, & quot annis Episcopi quidem Primati, Archidiaconi autem Vicario Episcopi in manus tradant. Synodus hæc fuit occasio, ut jura Archi-Episcopi Strigonienfis novum robur, vitamque acciperent, quod in actis Cardinalis Valentini actutum dicitur uberius.

Sacra Concilia in Reg. Ung.

VALENTINUS
S. R. E. CARDINALIS,
EPISCOPUS QUINQUE-
ECCLESIENSIS.

Hic Vir è Nobilibus Ungariæ or- *Valentini*
 tus, in exteris Provinciis variis *studia arti-*
 literis imbutus, præcipuè legum pe- *um & mu-*
 ritiâ eminuit; quarum laureâ etiam *nia,*

ornari, ac Decretorum Doctor dici
 meuit; quo quidem honore adèd
 gloriatus est, ut in publicis diploma-
 tibus hâc notâ se ante obtentam Pur-
 puram insigniri voluerit. Redux seu
 ex Gallia, seu Italia, quò studiorum
 causâ se contulerat, admodùm ado-
 lescens Strigoniensis Archi-Capituli
 Lector à Thoma Metropolita, à Ludo-
 vico verò Rege hujus nominis Un-
 gariæ I. Pro-Cancellarius annum cir-
 citer 1373. renunciatus est. Hoc
 munere duobus tribusve annis per-
 functus, ab eodem nominatissimo,
 ac victoriosissimo Rege, mortuo Wil-
 helmo Hamero Episcopo *Quinque-*
Ecclesiensi, & Comiti Capellæ Re-
 giæ (qui olim ex Ordine Mendican-
 tium transferat ad Familiam Benedi-
 ctinam, cœnobióque D. Martini in
 Monte Pannoniæ sito annis 21. Ab-
 bas præfuerat) suffectus est, tanquam
 vir eruditus, quique recens erectam
 Academiam *Quinque-Ecclesiarum*
 suâ auctoritate tueri, doctrinâ orna-
 re posset. Nimiùm tamen fîsus in-
 genio, Archi-Episcopi Strigoniensis
 jura invadere, & diminuere præsum-
 psit. Cùm enim Demetrius Cardi-
 nalis

*Fit Episco-
 pus Quin-
 que-Eccle-
 siensis.*

*Jura Archi-
 Episcopi
 Strigonien-
 sis violat.*

nalis Synodum Provinciale[m] coëgisset Strigonji, Valentinus Præpositos atque Abbates in solo suæ Diæcesis degentes, quamvis fuerint Strigonien[s]is jurisdictionis, ad conventum tamen proficisci vetuit; quâ de re certior factus Urbanus VI, Valentini molimina leniter repressit. Verùm

cùm hæc causa rursus lapsu temporis in dubium revocata fuisset, Joannes de Kanisa, Archi-Præsul Strigonien[s]is, vivô adhuc Valentinô annô 1400. Bullam impetravit à Bonifacio IX. in qua pleraque omnia Sacerdotia Strigonien[s]i Sedi subjecta, etiam in aliis Diocesisibus existentia, enumerantur. Bulla videri potest in Synodo Pazmaniana, quam ratam habuit etiam Pius II Papa. Nihil tamen Valentino de æstimatione aut auctoritate detractum est apud Ludovicum, propterea quòd causâ ceciderit, quin Ora-

tor missus est ad Urbem anno 1381. *Orator mittitur Romano.*

(Romæ enim eum hòc annô fuisse mihi clarum est) partim fortasse ut Carolum Dyrrachium, qui jam Regnum Neapolitanum subegerat, Joannámque Reginam cum Ottone marito in carcerem conjecerat, Urbano

Pon-

Pontifici commendaret; partim ut eidem ampliora auxilia contra Clementem Antipapam, si usus esset, polliceretur; partim ut summo Antistiti declararet, Regem Ungariæ, quemadmodum Legatis ab Urbe anno superiore missis sponderat, in clientela atque obedientia ipsius perseverare. Urbanus hoc studium erga se Ludovici vehementer approbans, Carolum Dyrrachium Regem utriusque Siciliae & Hierusalem (ut fusè in Demetrio narravimus) pronunciavit, contra Ludovicum Andegavensem à Clemente nominatum, à Joanna supremâ voluntate constitutum. Sed & in Valentinum munificum ac gratum se præstitit Pontifex: nam eundem in Patrum Purpuratorum Senatuum Titulo S. Sabinæ adlegit. Antequam ex Urbe discederet Cardinalis, causam quoque suam tuitus est in Curia Romana adversus Præpositum Deme-siensem, qui decimas quasdam Quinque-Ecclesiensis potestatis ac juris occupârat. Rebus è sententia Romæ peractis, excelsâque auctus dignitate, in Ungariam rediit Valentinus. Cum verò defuncto Ludovico Rege res Hun-

*Assumitur
ad Purpu-
ram.*

Hungariæ fluctuare cœpissent, Regi-
 nis Elisabethæ, & Mariæ fidelem loca-
 bat operam, consilióque nutantes ful-
 ciebat. Anno enim 1383. commotâ
 jam tempestate, ubi nonnulli Proce-
 rum Dalmatarum ac Croatarum cum-
 primis non obscurè Carolo Dyrrachio
 favere comperi fuissent, ut periculo
 obviam iretur, Valentinus noster in
 comitatu Reginarum Hungariæ pro-
 fectus est Jadram, ut refert Paulus de
 Paulo, cujus hæc verba sunt: 1383.
die 2. Augusti applicuit Jadram Banus,
videlicet D. Stephanus Lazchovich.
Eodem anno die 24. Octobris applicuit
Jadram D. Elisabeth Regina Ungariæ
Senior, & D. Maria Regina junior, &
D. Draga (intellige Hedwigem) so-
ror sua cum cæteris Prælatiis & Baroni-
bus earum, cum Cardinali videlicet
Episcopo Quinque-Ecclesiensi. Cæte-
 ra hujus viri eximiè docti præclare
 acta interierunt, tenuis fama manet,
 & statua in Basilica D. Petri Apostoli
 Quinque-Ecclesiensi, totius Ungariæ
 hodie principe; in qua cum admira-
 tione spectatur etiam sepulchrum Pe-
 tri Regis Ungariæ, ædis conditoris.
 Statuæ Valentini Cardinalis lapidi pa-
 rio

*Paulus de
 Paulo Pa-
 tritius Ja-
 drensis in
 Memoria.*

rio incisæ, in facello ad dextram sito, quod dum hæc scribimus, instauratur, inscriptum est: *Reverendissimus Pater Dominus Valentinus, Tituli sanctæ Sabinæ Presbyter Cardinalis* (hic fractum marmor ad pedes) *Obiit anno Domini M. CCCC. VIII.* Successit Valentino in Cathedra Rudolphus de Han, Ordinis Divi Benedicti. Ferd. Ughel, in Ital. Sac. Monumen. Trivul. de Valentino hæc habet: Valentinus Hungarus ex Episcopo Quinque Ecclesiensi Presbyter Cardinalis Sanctæ Sabinæ ab Urbano VI. in gratiam Regis Hungariæ (*Ludovici I*) anno 1379. renunciatus est. In patria pileum rubrum accepit. Jam senex, & grandævus creato Gregorio XII. in Italiam venit, ut unitatem in Ecclesia Catholica pernicioso, & diuturno Schismate sublato persuaderet. Florentiæ honorificentissimè susceptus, inde Senas, ubi Gregorius tunc erat, cum magna nobilium Hungarorum manu accessit. Cæterum cum contigisset illum gravi ægritudine corripit, cognito quòd Pontifex & alii, tanquam brevi morituri facultatibus inhiarent, indignatus hæc verba dixisse

fer-

fertur: *Verè nec me, nec mea bona habebitis.* Nec mora, lecticæ impoſitus, nullâ à Pontifice licentiâ petitâ, quanquam prædurâ hyeme, Venetias ſe deferri curavit, & non longè poſt in patriam perveniens rebus humanis eximitur anno ſalutis 1408.

DIONYSIUS S. R. E. CARDINALIS.

Archi-Epiſcopus Strigoniensis.

CLariſſimi generis Comitum de Zeech, ſive Szécs, inclyta ſoboles Dionyſius, editus eſt in lucem hanc Chriſtianæ æræ, annum circiter milieſimum quadringentieſimum. Patrem habuit Nicolaum, quondam Dalmatiæ Banum, Judicem Curia, ac Palatinum, atque adeò Virum ſummis in Hungaria Magiſtratibus conſpicuum. Adoleſcentiam optimarum artium diſciplinis exercuit Viennæ Auſtriæ. Annò ſiquidem 1426. ibidem in Academicis cenſebatur, utque vetus manuſcriptum docet, Dux de Limpach dictus erat. Sacris exinde initiatus, minoribusque infulis, Nitrieniſi nempe, & Agrieniſi per vices ornatus, poſtre-

*Gaspar Jov-
gelinus in
catalogo Pa-
latinorum.*

*P. Martin.
Szent-Ivãni
in catalogo
Epiſcoporũ.*

stremò Strigoniensem ab Elisabetha Regina Alberti Cæsaris, Regisque Hungariæ conjuge datam Simoni de Rozgon 1439. præripuit, relictâ tamen eidem mitrâ Agriensi; qui hâc forte nequaquam contentus palam à Reginae partibus recessit; Dionysius verò ut gratum se Elisabethæ probaret, Ladislaum ejus filium Alberti Imperatoris posthumum, tres menses duntaxat natum, Regem solemnî ritu instituit. Quamvis autem ob acceptum beneficium Reginae Elisabethæ commodis impensè studeret; tamen Uladislauum I. Polonum à frequentibus optimatibus ad Sceptrum Ungariæ regendum evocatum, annò 1440. pari ritu, sed insignibus duntaxat adscititiis, Regem vel invitus creavit; tum Strigonium se contulit, partésque Uladislai omnino deseruit: anno verò insequente Reginam, ac Patronam suam hospitio suscepit, afflictâmq; ac desertam solabatur, & omni ope, atque operâ adjuvabat. Occiso deinde ad Varnam viro magnanimo Rege Uladislao, præcipuus auctor fuit Hungaris, ut à Friderico Imperatore repeterent Ladislaum Regem.

*Dionysius
duos Reges
coronat.
Philippus
Callima-
chus.
Bonfinius*

Is cùm pupillum, causatus teneram ætatem, reddere nollet, Joannes de Hunyad (sic enim scribi voluit) vulgò Hunniades, Hungariæ Gubernator crebris incursionibus infestabat Austriam, obfirmatum tamen Imperatorem in proposito movere haudquam poterat, quin & ipse Augustus adversa Hungaris opponebat arma, laceffebátque vicissim Ungariam. Interea Dionysius sub annum 1440. 8. *Dionysius fit Cardinalis.* Jan. absens Cardinalium Collegio annumeratus erat titulo S. Cyriaci in Thermis; utrum suis unicè meritis, an commendatione Elisabethæ Reginæ, non constat. Istud satis in aperto est, illum non ad vanum nomen, ac jactantiam, sed ad labores suo culmine, & professione dignos hoc dignitatis suscepisse.

Cùm enim durante interregno, sive potius absente Rege impubere, imò verò jam inde à morte Alberti Regnum variis motibus agitatum convulsúmque esset, Dionysius inter armorum strepitus, & vim, læsa plurimum Ecclesiarum jura, ac tecta, collapsámque (ut fieri furente Marte assolet) aliquantum videns disciplinam, & cœ-

litum cultum, annò 1449. frequentissimam indixit Antistitum Synodum Strigonii, ut his incommodis, quantum liceret, mederetur. Et condiderit sanè Præsul integerrimus leges, quas ex usu futuras, in hac rerum perturbatione cognoscebat. Quamobrem apud Sedem Apostolicam non modò commendationem, ac laudem, uti decebat, promeritus est, sed & potestatem accepit templum Metropolitanum sive reparatum, sive recens erectum solemniter consecrandi, & ritè pœnitentibus diebus dedicationis amplam noxarum, ac pœnarum relaxationem promulgandi.

*Dionysius
obtinere à
Pontifice
confirmationem Pri-
matia.*

Reddito demum Hungaris & Bohemis Rege Ladislao, Dionysius cum primis Patrum, & Optimatum Viennam profectus est, ubi ab obligato pluribus sibi rationibus Principe nullo negotiò patrociniū obtinuit, ut sibi, ac successoribus suis dignitas Primatis, & nonnulli alii honores, à quibusdam in controversiam adducti, à summo sacrorum Præsīde approbarentur. Nihil cunctatus Ladislaus desiderium Archi-Præsulis per Legatos ad Pontificem retulit, qui voti

com-

compotem fecit diplomate edito,
 quod ad verbum sic habet: *Nicola-* Synod. Pazza
us Episcopus Servus Servorum DE man. Apa
ad futuram rei memoriam. Excellens pen. 3. p.
Apostolicae Sedis providentia, Ecclesia- 141.
rum dignitatem, & merita conside-
rans personarum, illas non indignè
uberioris donò gratiae, & honoris prae-
rogativâ attollit, quas dignitatis prae-
eminentia, & vetusta consuetudo ce-
teris efficit anteponi. Sanè charissi-
mus filius noster Ladislaus Ungariae
Rex illustris, nobis nuper exposuit, quòd
licet Archi-Episcopus Strigoniensis, pro
tempore existens, Primatiae & Legatio-
nis natæ officio, & honore fungitur; nòs-
que jurisdictione Primatiae, & Legatio-
nis praedictarum auctoritate Apostolicâ
approbantes & confirmantes, dilecto
filio nostro Dionysio, Sancti Cyriaci
in Thermis S. R. E. Presbytero Cardi-
nali, qui ex dispensatione Sedis Apo-
stolicae, etiam ipsius Ecclesiae Strigoni-
ensis Archi-Episcopus existit, suisque
successoribus, quod in singulis Regni
Ungariae, & partium illi de jure, vel
consuetudine subjectarum, & subjicien-
darum, Cathedralibus etiam Metropo-
litanis, & aliis licet exemptis, Ec-

*clesiis, circa earumque personas ac
 eisdem quomodolibet subjectas, & subji-
 ciendas, tam Ecclesiasticas, etiam
 exemptas, quàm mundanas omnimodâ
 potestate Primatiæ, & Legationis ea-
 rundem tam in foro conscientia, quàm
 contentioso, cum honoribus, oneribus,
 & prerogativis debitis, & consuetis
 perpetuis futuris temporibus uti, &
 gaudere, Jurisdictionemque, & Lega-
 tionem prædictas liberè, & licitè exer-
 cere valeret, eâdem auctoritate conces-
 simus; prout in nostris superinde con-
 fectis literis plenius continetur. Quia
 tamen à nonnullis curiosis revocatur in
 dubium, an præfatus Archi-Episcopus,
 Primas, & Legatus Natus, extra suas
 Civitatem, & Diœcesim, crucem ante
 se deferri facere, & de causis, quæ ad
 ipsum, & Sedem Strigoniensem, præ-
 fertim per simplicem querelam deferun-
 tur, cognoscere, illasque coram eo, &
 apud dictam Sedem verti facere possit;
 Nos ad hujusmodi ambiguitatis dubium
 submovendum, modernum, ac pro tem-
 pore existentem Archi-Episcopum Stri-
 goniensem, sicut post Regem præfatum
 primus existit, ita etiam in Parlamen-
 tis, & quibusvis aliis actibus egregiis,
 post*

post ipsum Regem, primum locum, & primam vocem obtinere debere: quodque infra limites suæ legationis, cæteris Præsulibus, si quos adesse contingat, in ea re cessantibus, solus ubique ante se crucem deferri facere, ac de causis, quæ infra limites legationis hujusmodi, etiam per simplicem querelam, coram eo, & apud dictam Sedem, moveri, & verti contigerit, cognoscere, & cognosci facere, causasque hujusmodi committere, cæteraque omnia, & singula, quæ auctoritatem, officium, & honorem Primatiæ, & Legationis hujusmodi, de jure, & consuetudine, aut alias quomodolibet concernunt, facere, & exequi, ac ab universis, & singulis personis, tam Ecclesiasticis, etiam Religiosis licet exemptis, quàm mundanis, infra dictos limites, pro tempore existentes, quod decreverit per Censuram Ecclesiasticam, auctoritate Apostolicâ, in hac parte sibi specialiter attributâ, firmiter observari facere posse liberè, & licitè tenore præsentium declaramus. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, exemptionibus, & indultis quibusvis personis cujuscunque statûs, gradûs, & conditionis fuerint, seu eorum locis per

nos, aut Sedem Apostolicam concessis; quibus quoad hoc specialiter derogari volumus, & expressè derogamus, ceterisq; contrariis quibuscunq;. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum; Annô Dominicæ Incarnationis Millesimô quadringsimô secundô. Decimo Kalend. Maji. Pontificatûs nostri annô sextô. Hunc in modum in suis dignitatibus ac prærogativis firmatus Dionysius, cœlitibus ampliores honores rependere cupiens, magnis excultam impendiis Basilicam Strigoniensem (cujus hodie adhuc Janua majestatem veterem & splendorem satis indicans extat) honoribus Augustissimæ Cœlorum Imperatricis, & D. Adalberti consecravit, præsentem, ut credere fas est Ladislao Rege: hõc enim annô insigni pompa Budam ingressus est. Ministrârunt Archi-Præsuli cæremonias frequen-

*Dionysius
dedicat
templum
Strigoniensem.*

quentatas in consecrationibus obeun-
 ti sex Episcopi, inter quos fuit unus è
 Suffraganeis nimirum Nitriensis, cæte-
 ri Missionarii Apostolici. Placet hõc
 locò attexere inscriptiones, quæ ho-
 die supersunt in ruinis Basilicæ Stri-
 gonien-
 In magnæ portæ musivo
 opere elaboratæ arcu hæc visuntur:
*Mentem sanctam, spontaneam, hono-
 rem DEO, & patriæ liberationem.*
 Infrà in marmoreo limine supero: *Por-
 ta patet vita, sponsus vocat introve-
 nite.* In parva janua ante Sacellum
 B. V. circulatim marmorì incisum:
*Venite benedicti Patris, percipite Re-
 gnum.* De reliquo Dionysius Ladi-
 slaum Regem, quoad vixit, semper
 filii charissimi locò habuit. Sed ò
 vanas mortalium spes, Rex humani
 generis delictum appellatus, annò,
 postquam subditis suis restitutus fue-
 rat, sextò, præcoce, & repentino fa-
 to, sive ex ulcere pestifero in in-
 quine nato, sive ex intempestivo dul-
 cium rapularum esu, aut è præbito ve-
 neno, multis tamen editis Christianæ
 patientiæ & pietatis signis, susceptis-
 que ritè Ecclesiæ Sacramentis extin-
 ctus est Pragæ 9. Kal. Decembris an-

*Inscriptio-
 nes templi
 Strigoniens.*

*Ladislaus
 Rex moritur.*

nò 1457. Ipso verò ejus obitùs die Matthias Corvinus paris ætatis juvenis, ut quidam perhibent, Viennâ Pragam captivus translatus, principiò anni instantis à Proceribus Ungariæ Rex electus est; qui ipsis sex annis Sacro diademate redimiri non potuit à Dionysio, cui quidem hoc tertium in coronandis Regibus decus superi destinaverant. Tandem porrò (ut cætera huc parum pertinentia missa faciam) seditione Urbis Viennensis non nihil placatus, ut vult Spondanus, Imperator Fridericus; insignia Regia Ungaris restituere apud animum suum statuit, onerosis quidem conditionibus, quæ tamen leves visæ fuere cupientibus, & Matthiæ in primis nimiò eorum pene tabescente desiderio. Quoniam verò literæ hujus concordiæ, & pactorum rarò admodum reperiuntur, rem non ingratham lectori me facturum existimavi, si eas hõc locò attulero. Fuere autem istæ:

*Fridericus
Imperator
restituit
Hungaris
Coronam.*

*App. Bonfin. ,, Nos Stephanus Colocensis & Ba-
post Libr. 8. ,, ach. Archiepis. locique ejusd. Co-
Dec. 4. & 3. ,, mes perpet. Joannes Episcop. Vara-
Diploma de ,, diens. Nicolaus de Uyjlak, Vajvoda
reddita co- ,, Transylv. ac Machov. & Regni Scla-
rona, & pa- ,,*

„ voniæ Banus: Comes Ladislaus de *ce facta in-*
 „ Palócz, Judex Curiaë, & Emeri- *ter Imper.*
 „ cus de Zapolya Summus Thesau- *& Matth.*
 „ rarius Regni, & Capitaneus parti- *Reg.*
 „ um superiorum Regni Ungariæ,
 „ recognoscimus, & notum facimus
 „ tenore præsentium universis. Cùm
 „ aliàs occasione differentiarum, &
 „ controversiarum inter Serenissimum
 „ Principem, & Dominum Dominum
 „ Fridericum Romanorum Imperato-
 „ rem semper Augustum, Ungariæ,
 „ Dalmatiæ, Croatiaë &c. Regem,
 „ & Austriaë, Styriæ, Carinthiæ, &
 „ Carnioliaë &c. Ducem, Dominum
 „ nostrum gratiosissimum, ex una;
 „ & Inclytum Regnum Ungariæ, Præ-
 „ latósque, Barones, Nobiles, incol-
 „ las, & habitatores ejusdem Regni
 „ partibus, ex altera parte subortarum,
 „ ex vertentiũ, ad noñullos articulos,
 „ & capitula pacis, & concordiaë
 „ deventum fuerit. Quòd nos Sere-
 „ nissimi Principis Domini Domini
 „ Matthiæ præatacti Regni Ungariæ
 „ &c. Regis, Domini nostri gratiosissi-
 „ mi, Prælatorúmq; Baronũ, Procerũ,
 „ Nobilium, incolarum, & inhabita-
 „ torum ejusdem Regni, quorum

„ plenâ, & omnimoda auctoritate, fa-
 „ cultate, & potestate ad infra scripta
 „ utimur, & fulti sumus, atque nostrô
 „ ad exhortationem S. Domini nostri
 „ Papæ Pii, mediô Reverendorum
 „ Patrum Domini Dominici Episcopi
 „ Torcellanensis Apostolicæ Sedis Le-
 „ gati, missi cum potestate Legati de
 „ latere, & Domini Rudolphi Redes-
 „ hain, Præpositi Frising. & Vorma-
 „ tiens. Ecclesiarum Decani, S. nostri
 „ Papæ Referendarii, & Apostolici
 „ Oratoris, & Nuncii, in præsentî
 „ causa Sanctitatis suæ Commissarii,
 „ cum præfato Domino nostro Impe-
 „ ratore, ad finalem, & ultimam
 „ conclusionem eorundem articulo-
 „ rum, spontè, liberè, bonâ, & sine-
 „ râ voluntate in hunc, qui sequitur,
 „ modum decrevimus. Imprimis
 „ adoptatæ pacis, & concordia deli-
 „ beratum, & conclusum est, quòd
 „ Serenissimus Princeps, & Dominus,
 „ Dominus Fridericus Romanorum
 „ Imperator semper Augustus, Un-
 „ gariæ, Dalmatiæ, Croatia, &c.
 „ Rex, Austriæ, Styriæ, &c. Dux, &
 „ Hæredes sui ab eo per rectam li-
 „ neam descendentes, infra scripta, &
 „ Op-

„ Oppida, quæ sua Imperialis sublimi-
 „ tas in metis, & limitibus Regni Un-
 „ gariæ constituta possidet, & in suis
 „ manibus per se, & alios suos, nomi-
 „ ne tenet, videlicet Forchtstain, &
 „ Koblstorff, cum suis pertinentiis
 „ omni imperio, ac jurisdictione pos-
 „ sideat, aliisque Serenissimi Principis,
 „ & Domini, Domini Matthiæ, dicti
 „ Regni Ungariæ Regis, Domini no-
 „ stri gratiosissimi, ac Hæredum, &
 „ Successorum suorum, Prælatorum-
 „ que, Baronum, Procerum, & Nobi-
 „ lium ejusdè Regni quorumcunque,
 „ per se, aut alios eorum nomine in-
 „ quietatione, turbatione, exactione,
 „ gravamine, & molestiâ, quibuscun-
 „ que de jure, & facto, accessione ju-
 „ ris, præsertim eorum, qui interesse
 „ ad loca prænominata se habere præ-
 „ tendunt, in favorem quorumcun-
 „ que quovis quæsito colore, facta,
 „ aut fienda: salvis tamen decimis, &
 „ causis Ecclesiasticis, quæ in foro suo
 „ ventilari, & agitari poterunt, prout
 „ juris est, & rationis. In foro verò
 „ sæculari in personalibus actionibus,
 „ & realibus contra, & adversus sub-
 „ ditos suæ Imperialis Majestatis, &

„ castrorum præatactorum quomodo-
 „ libet motis, vel movendis coram
 „ iudicibus, per suam Imperatoriam
 „ Majestatem, in hujusmodi pro tem-
 „ pore deputatis actor, justitiam po-
 „ stulet, & requirat, quæ ad requiren-
 „ tis instantiam expeditè administrari
 „ debet, provisò, quòd eò adire ad
 „ requisitionem subditorum prædictæ
 „ Majestatis Imperialis, & dictorum
 „ castrorum per Regem pro tempore,
 „ & ipsum Regnum Ungariæ, eorùm-
 „ que Officiales procedatur, & pro-
 „ cedi curetur. Et si Passagium ge-
 „ nerale contra Turcas, pro defensio-
 „ ne fidei, & ipsius Regni, fieri conti-
 „ gerit: in ea re requisitione præviâ à
 „ dicto Domino Imperatore fienda ii-
 „ dem subditi maneant inclusi, sic ta-
 „ men, quòd in eum casum hujusmo-
 „ di exactio per suam Imperialem
 „ Majestatem debita fiat dispositio, &
 „ adversùs contravenientes, qui quo-
 „ modolibet etiam pro suo interesse
 „ aliquid attentarent, contra ea, quæ
 „ præatacta sunt, ac præfatum Domi-
 „ num Imperatorem, & Hæredes suos
 „ tanquam contra violatores pacis,
 „ Rex ipse pro tempore, & Regnum
 „ po-

„ potenter assistentiam faciant. Ad-
 „ jectum etiam est, & conclusum,
 „ quòd post obitum dicti Domini Im-
 „ peratoris, Rex pro tempore, & Re-
 „ gnum Hungariæ facultatem habeat,
 „ dicta castra, & eorum redditus, casu
 „ quo idem castrum Koblstorff per di-
 „ ctum Dominum Imperatorem no-
 „ strum demolitum non fuerit, atten-
 „ to, quòd modicæ existimationis, &
 „ ruinosum existit, aliàs ipsius redditus
 „ reluendi ab Hæredibus suæ Maje-
 „ statis, pro summa, quadraginta millia
 „ florenorum Ungaricalium, & duca-
 „ torum boni auri, & justiponderis.
 „ Item quia præfatus Dominus noster
 „ Imperator, bonis, & honestis respe-
 „ ctibus hucusque, nomine, & ti-
 „ tulò Regis Regni Hungariæ est
 „ usus, deliberatum est, & con-
 „ clusum, quòd eadem sua Maje-
 „ stas Imperialis hujusmodi titulò Re-
 „ gis, à Prælatibus Baronibusque, Nobili-
 „ bus, Proceribus, & aliis Regnicolis
 „ Regni Ungariæ in antea liberè, &
 „ quietè in eorum literis, & ubili-
 „ bet honorata, & decorata, quoad vi-
 „ xerit, remaneat: & Rex dicti Re-
 „ gni Ungariæ, & aliorum Regno-
 „ rum,

„rum, eidem Regno cohærentium,
 „nominari, & vocari, eò titulò uti,
 „& frui possit, & valeat, impedi-
 „mentò, contradictione, & turba-
 „tione Regis pro tempore, Domi-
 „norúmque, & inhabitatorum ipsius
 „Regni prorsus amotis. Item ut
 „Respublica, & felix S. Romanæ Ec-
 „clesiæ, Christianæque Religionis
 „status augeri, & promoveri eò salu-
 „briùs & utiliùs possit, præfatus noster
 „gratiosissimus Imperator, Serenissi-
 „mũ Dominum Matthiam Regem pro
 „filio suo adoptivo habebit, & pa-
 „ternè amplectetur: & in præsentia-
 „rum in filium recipit, & adoptat,
 „eique, & Regno amicitiam, favores,
 „& promotiones paternas in antea
 „faciet, eundémque Dominum no-
 „strum Matthiam Regem filium su-
 „um nominabit: & in recognitionem
 „tantæ clementiæ, quæ multis re-
 „spectibus à sua sublimitate Cæsarea
 „eidem Domino nostro Matthiæ ad
 „honorem, & commoda cedat, ut
 „digna vicissitudine gratitudinis de-
 „bitæ se erga suam Imperialem Ma-
 „jestatem exhibeat: conclusum est,
 „quòd idem Dominus noster Mat-
 „thias

„ thias Rex, adoptivus filius suæ Sere-
 „ nitatis, præfatum Dominum Impe-
 „ ratorem ex adverso quoad vixerit,
 „ pro Patre honorare, reputare, no-
 „ minare, scribere, & tenere de-
 „ beat; annuendo, quòd idem Domi-
 „ nus noster Rex Matthias præfatum
 „ Dominum nostrum Imperatorem,
 „ Patrem, & Regem nominet, ho-
 „ noret, reputet, & eidem Patri, & Re-
 „ gi Ungariæ scribat. Insuper Do-
 „ minum nostrum Matthiam Regem,
 „ ac Prælatos, Barones, Proceres,
 „ Nobiles, incolas, & inhabitatores
 „ dicti Regni Hungariæ, atque nos,
 „ ipsúmque Regnum vigore mandati
 „ nobis traditi obligamus, & adstrin-
 „ gimus per præsentis ad servandum
 „ inconcussè perpetuò cum eodem
 „ Domino nostro Imperatore, &
 „ Hæredibus, terrisque, & Dominiis
 „ suis, pacem inviolabilè, legibus, &
 „ inscriptionibus in contrarium faci-
 „ entibus non obstantibus quibus-
 „ cunque, imò sublatis eisdem, &
 „ ad consilia, auxilia, & subsidia suæ
 „ Imperiali Celsitudini. Sed nec
 „ Serenissimo Principi Domino Maxi-
 „ miliano suæ Imperialis Majestatis fi-
 „ lio,

„lio, & cunctis in adversis, contra
 „quoscunque, toties, quoties fue-
 „rit opportunum (S. nostrô Papâ,
 „Sede Apostolicâ, & S. Romanâ Ec-
 „clesiâ duntaxat exceptis) efficaciter
 „pro posse danda, facienda, & pro-
 „sequenda ad Suxæ Majestatis Im-
 „perialis, & præfati filii sui requisitio-
 „nem, præfatorum Regni Unga-
 „riæ, & Regis pro tempore de-
 „erimus. Dum tamen in expe-
 „ditione generali contra Turcas
 „in hoc non fuerimus præpediti, &
 „irrationabili morâ, & contradic-
 „tione quibusvis in his omnino cessan-
 „tibus, libertatibus Regni in aliis sem-
 „per salvis. Ob quod Imperatoria
 „Majestas gratâ vicissitudine, favo-
 „ribus, & promotionibus dictum Do-
 „minum nostrum Matthiam Regem,
 „& Regni Ungariæ bonum statum,
 „signanter contra Tucam, & infideles
 „Christi hostes apud sanctum Domi-
 „num nostrum Papam, Sedem Apo-
 „stolicam, Principes S. Romani Im-
 „perii, & aliàs ubi opportunum fue-
 „rit, sincerè promovere: Et si (præ-
 „missis tamen signanter ad causam
 „castrorum, ut suprâ, ordinatis,
 „sem-

„ semper salvis) aliqua partium, sive
 „ Domini, aut eorum subditi, utrin-
 „ que inter se, alter ad alterum que-
 „ relas, aut petitiones quascunque
 „ habere prætenderint, illas, prout de
 „ jure, & non aliter, prosequi debe-
 „ bunt, quorum occasione justitia ad
 „ conquerentium requisitionem expe-
 „ ditè erit administranda. Item ad
 „ finem, quòd sincera mens præfati
 „ Domini nostri Imperatoris, quam ad
 „ dictum Dominum nostrum Mat-
 „ thiam Regem, filium Suæ Imperia-
 „ lis Majestatis, & præatactum Re-
 „ gnum Hungariæ gerat, ampliùs ab
 „ omnibus agnosci queat: Sua Impe-
 „ rialis Celsitudo, nobis supra dictis
 „ Stephano Wardai Colocensi, &
 „ Joanni Episcopo Varadiensi sacram
 „ coronam Regni ipsius Hungariæ
 „ suæ Majestati, per quondam Serenif-
 „ simam Dominam Dominam Elisa-
 „ beth Reginam unà cum Serenissimo
 „ olim bonæ memoriæ Rege Ladis-
 „ lao, ad fideles manus assignare huc-
 „ usque fideliter tentam, & custodi-
 „ tam, ne ad alienas manus illam de-
 „ venire contingeret, oppidùmque
 „ Soproniense gratiosè assignavit, &
 E „ omnem

„ omnem obligationem super eodem
 „ remisit. Item ad majorem solida-
 „ tionem paterni amoris, & in retribu-
 „ tionem clementissimæ affectionis
 „ ipsius Domini nostri Imperatoris, ad
 „ Dominum nostrum Matthiam Re-
 „ gem, & ipsum Regnum Ungariæ,
 „ quódque Imperialis Majestas eò
 „ promptior ad ipsius Regni commo-
 „ da, & boni statûs incrementa accu-
 „ ratiùs promovenda alliciatur; deli-
 „ beratum & conclusum est, quòd va-
 „ cante Regno Hungariæ, filiis, seu
 „ nepotibus legitimis, ex præfati Do-
 „ mini nostri Regis Matthiæ lumbis
 „ procreatis, non extantibus, sua Im-
 „ perialis Majestas, aut filius suæ Cæ-
 „ sareæ sublimitatis, quem ad hoc de-
 „ putandum duxerit, & post suæ Sere-
 „ nitatis decessum, filius ejusdem suæ
 „ Majestatis, quem reliquerit: aut si
 „ plures fuerint relicti, alter ex istis,
 „ quem Regnum ipsum præelegerit in
 „ Regem, ipsi Regno Ungariæ præfi-
 „ ciatur, cum plena ejusdem Regni
 „ administratione. Item si, ut præ-
 „ fertur, præfatum Regnum Hunga-
 „ riæ vacaverit, provideri debet per
 „ Prælatos, Barones, Proceres, No-
 „ bi-

„ biles, incolas, & inhabitatores ejus-
 „ dem Regni, quòd Imperialis Maje-
 „ statis, aut filius ejus, ut præmittitur,
 „ consiliò, & potenti auxilio ejusdem
 „ Regni Ungariæ, ut moris est, coro-
 „ netur: & in administratione plena
 „ Regni in pace recognoscatur, & ef-
 „ ficaciter pro Rege teneatur. Item
 „ concordatum, & conclusum est;
 „ quòd omnes injuriæ differentiæ,
 „ dissensiones, impetitiones quæcùn-
 „ que, & actiones inter partes ipsas,
 „ etiam occasione felicis recordatio-
 „ nis Regis Ladislai, aut aliàs quomo-
 „ dolibet subortæ, & partibus ipsis ex
 „ quacunque causa competentes,
 „ quoad se, & Hæredes, ac Successo-
 „ res eorum, penitùs remissæ, & ex-
 „ tinctæ esse debent, omnisque indi-
 „ gnatio, & displicentia, quos præfati
 „ Serenissimi Principes, Dominus Fri-
 „ dericus Imperator, & Dominus
 „ Matthias, Reges contra quoscùn-
 „ que Prælatos, Barones, Proceres,
 „ Nobiles, incolas, & inhabitatores
 „ dicti Regni, ac alios Ecclesiasticos,
 „ & sæculares, occasione adhæisionis
 „ ipsis Dominis utcùnque hinc inde
 „ factæ, conceptæ in futurum mini-

„ mè ulciscantur, neque viâ facti , ne-
 „ que juris ; sed similiter remissæ , &
 „ extinctæ esse debent : pollicentes ,
 „ promittentes , & obligantes nos ,
 „ sub honore nostro , & fide Christia-
 „ na acturos , facturos , cooperaturos
 „ realiter , & cum effectu : quod
 „ idem Dominus noster Rex Mat-
 „ thias, ac Prælati , Barones , Proce-
 „ res , & Nobiles ejusdem Regni
 „ Hungariæ, atque nos omnia , & sin-
 „ gula per ipsos, & nos agenda , & fa-
 „ cienda ante coronationem dicti Do-
 „ mini nostri Matthiæ Regis quanto-
 „ cius , & post hujusmodi coronatio-
 „ nem infra duos menses eandem co-
 „ ronationem immediatè sequentes ,
 „ sigillis , & literis Procerum dicti
 „ Regni Ungariæ , atque nostris au-
 „ thenticis firmabimus, roborabimus,
 „ atque renovabimus , prosequemur-
 „ que, & implebimus, faciemus, & ra-
 „ ta , ac firma habebimus : firmabunt
 „ potiores, roborabunt , atque reno-
 „ vabunt, prosequenturque , imple-
 „ bunt, & facient , & rata habebunt ,
 „ & firma : confirmationes quoque
 „ opportunas super præmissis nunc à
 „ præfato S. nostri Papæ in hac causa
 „ com-

„ commissario, & nihilominus etiam
 „ ex post à S. sua, & Sede Apostolica,
 „ ex certa scientia petemus, eisdem
 „ stabimus, & parebimus, stabúntque,
 „ & parebunt dolò, & fraude in his
 „ omnibus cessantibus quibuscúnque.
 „ In cujus rei testimonium nos T. T. T.
 „ nostra præsentibus fecimus appen-
 „ di. Datum in Nova Civitate, feriâ
 „ tertiâ ante Festum Mariæ Magdale-
 „ næ. Anno Domini 1463.

His igitur pactis receptâ sacrâ co-
 ronâ cum reliqua D. Stephani supel-
 lectili Cardinalis Matthiam Corvinum
 more usitato Regem coronavit annò
 1464. die 29. Mensis Martii, confectâ
 verò quàm splendidissimè inaugura-
 tione, animum adjecit Præsul ad com-
 ponendam, terminandâmq; causam,
 quæ inter Collegium Canonicorum
 Strigoniensium, & Abbatiam Pecsva-
 radiensem multis retrò annis, grandi
 utrinque contentione fervebat. Ex-
 pedit eam, quoniam rara, atque inau-
 dita est, paucis describere. Conven-
 tus Pecsvaradiensis invaserat Capituli
 quasdam decimas, perquam debilibus
 innixus rationum momentis, neque
 ab iniquo usu ullis suasionibus, cohor-

*Dionysius
 Matthiam
 R. coronat.*

*Dionysius
 litem gran-
 dem compo-
 nere tenet,
 cui immori-
 tur.*

tationibus, sententiis tam sacrorum, quàm civilium tribunalium, dimoveri poterat. Controversiâ igitur ad Concilium Basileense annô à Verbo Incarnato 1434. relatâ, commissâque primum arbitrio Martialis Episcopi Eborensis, dein Bernardi Archi-Episcopi Savenfis examini; utriusque sententiâ palmam tulêre Canonici. Verùm contumaces Pécsvaradienses, contemptui insupérque habentes horum decreta Patrum, totiúsque Concilii, armis quoque iniquè possessa tueri non reformidaverunt. Erat enim Abbatia hæc Collegio Strigoniensi totâ Hungariâ primario, opibus, clientelis, famulitiô propè æqualis. Quamobrem annô 1438. Ladislaus Soos Abbatix Gubernator pervicax à cœtu credentium in Christum separatur, Conventus sacro interdicto, & mulctis subjicitur. Ladislao paucis post annis præfecturâ amoto, aut vitâ functo, Petrus Abbas in regimine cœnobii successit 1452. qui confestim admonitus est, ut impendia in litem facta Capitulo refundat, deque perceptis decimis ex æquo satisfaciat. At dicto non audiens iis planè pœnis, quibus

bus decessor afficitur: Saniora tamen meditans annô 1458. sponte suâ Dionysium Cardinalem arbitrum, ut ajunt, amicabilem injunctâ parti re-nuenti pœnâ 100. marcarum, constituit. Sed enim neque hac ratione convenit inter partes. Itum ergo est annô sequente ad Romanam Curiam, reditumque hinc re ut aliàs infectâ. Tum causa tota iteratò delegata est à Pio II. Dionysio Archi-Præfuli 1460. finem tamen invenire non potuit. Nam non multò post Petrus Abbas hæc mortalia reliquit; Joannes autem Præpositus Quinque-Ecclesiensis ad gubernium Abbatiaë assumptus decessorum suorum inobedientiam, & duriciem continuavit. Eapropter Pius Pontifex rursus severioribus Ecclesiæ remediis animadverti jubet in Governatorem, atque Conventum: Paulus autem Papa II. hõc annô, qui fuit 1464. literas gratiæ, & justitiæ pro Collegio Strigoniensi contra Abbatiam approbavit. Dionysius itaque Pio obsequens, Joannem Governatorem diris publicè devovit, sacrisque removit, atque arma Matthiæ Regis imploravit. Sed actâ ætate ad

metam vitæ decurrens, ac properans, litem suspensam finire coactus est: lis autem denique annô 1474. finem fortita est; quando scilicet Oswaldus Episcopus Zagrabiensis, & Commendatarius Abbatiaë Pécsvaradiensis remisit decimas, & Archi-Capitulum contrâ relaxavit Abbatiaë à se profusas antehac expensas. Solemne porrò quondam in Ungaria fuit, ut pro Abbatibus Gubernatores, Commendatarii, Administratores aliqui Antistitem adsciscerentur, qui quandoque eximii decoctores erant. De cætero noster Dionysius post defensionem ab Hussitarum peste Ungariam, post restituta Ecclesiarum jura, post ampliatas Archi-Episcopatus fortunas, post redditam Patriæ pacem, & coronam, virtutibus tanto Antistite dignis ornatissimam egit animam, Kalend. Februar. anni 1465. tumulo illatus in Ecclesia maxima Strigonien- si, cui octo aureorum millia legavit. Romæ palatium apud S. Mariæ in Via Lata Ecclesiam, à Nicolao Cardinali Capuano inceptum propriis pecuniis perfecit. Denique legatione functus est Sedis Apostolicæ nomine, pro

Obitus viri.

concordia inter Uladislaum Regem,
ac Præsules, & optimates Regni, &
pro coronando eodem Uladislao;
quamvis ipse, ut retulimus, magis fa-
verit Ladislao pupillo. Interfuit ele-
ctionibus Nicolai V. Callisti III. Pii II.
Videatur Felix Contelo. in Elencho.

STEPHANUS

DE VARDA,

S. R. E. CARDINALIS,

Archi-Episcopus Colocensis.

Stephanus de Varda, sive Vardaius
non obscurò locò, ut quidam malè
existimant, sed à nobilitate Parentum
illustri (prout ex subjectis Regis Mat-
thiæ Corvini clarè desumitur episto-
lis) in Hungaria exortus, artibus lite-
rarum, & belli admodum inclaruit.
Doctoris Legum nomine gavisus, &
fruitus est, finésque Hungariæ (ut est *Bonfinius*
apud Bonfinium) ab excursionibus *ad ann.*
Turcarum tuitus. Ex Præposito *1464.*
Eclesiæ Agriensis Archi-Episcopus Co-
locensis, tum Presbyter Cardinalis
SS. Nerei, & Achillei à Paulo II.
1468. 18. Septembr. renunciatus est.
Quanti virum hunc Matthias Rex fe-

cerit, quantóque in amore, & æstimatione habuerit semper, argumento sunt Curæ, ac sollicitudines, quas pro eo in Collegium Cardinalium cooptando, inter gravissimas licet Regni vicissitudines, ac negotia, suscepit: præterquam enim, quòd summi Cancellarii muneri eum præfecerit, per Legatos, quos hac etiam de causa Romam ad Pontificem miserat; per epistolas, easque frequentatas apud binos Pontifices Pium II. & Paulum II. apud Collegium Cardinalium, nec non Ducem Venetiarum strenuè, multisque egit pro conferenda ei hac dignitate: prouti datæ ad eosdem (quarum hìc annectere libuit fragmina) Regis epistolæ abunde testantur, ubi viri merita, insignésque animi dotes enumerat; & quidem in epistola ad Papam

Ex Epist.
ad Pium II.
Papam
1464.

Pium II. hæc habet: *Quapropter B. V. quanta maxima possumus devotione obsecramus, quatenus, & alterum Regni nostri Metropolitanum Sacro-Sancto Collegio adscribere dignetur Reverendissimum scilicet Dominum Archi-Episcopum Colocensem, qui ultra Pontificalis vitæ honestatem etiam temporalium tractandorum usu,*

ac prudentiâ, & quasi quadam dexteritate præpollet, ac tantò magis pollebit, quantò plus ei auctoritatis addiderit cumulus honoris. Et ne quis fortassis existimet, eum duntaxat ab usu tra-
 & andorum temporalium, & politiori prudentia Regi acceptum fuisse, verùm etiam à virtute, calumniam remouet ejusdem Regis epistola data ad Paulum II. in qua peculiaria sunt: *Verùm, si Beatitudo Vestra ornamento Corona nostra, statûs publici firmamentis, si denique communi utilitati propitia esse volet: præterea, si de viro docto, integro, rerum diuinarum, humanarumque perito, & nulli apud nos virtute secundo ratio aliqua haberi debet, non erit ad concedendum grave, quod rectò judiciò petitur. imò quod debito jure postulatur. --- Non agitur in re ista causa privata illius viri suaptè virtute bene meriti, & omnem dignitatem sibi accedentem adornaturi.* Quòd verò hæc à Rege acta sint nullatenus dignitatem hanc Stephano ambiente, aut urgente manifestum fit ex ejusdem Regis epistolis ad Collegium Cardinalium data, & altera ad Ducem Venetiarum; in priore ad Collegium Car-

Ex Epist.
 ad Paulum
 Papam
 1465. 30.
 Apr.

Doctores
 Legum, &
 SS. Theol.
 eum fuisse
 patet.

Ex Epist.
ad Colleg.
Cardin.
1466.

Cardinalium hæc reperiuntur: *Cum amplissima Collegii vestri dignitate Regnum nostrum prorsus careat, jam pridem optavimus R. Dominum Stephanum Archi-Episcopum Colocensem ad id honoris promoveri, quamvis minimè hujus rei ambitiosum, imò diu nec conscium. Id facimus abundantia amoris, quò illum ob ingentia ejus merita, & clarissimas virtutes amplectimur. --- Ea in re, quanquam SS. D. N. tam per Oratores nostros, quam per litteras suas spem nobis optimam dederit, nos tamen interim animò consistere quietò non possumus, quousque desiderii hujus compotes facti, quod animò speramus, re ipsa possideamus. --- Confidimus profectò, quòd neque sedem Apostolicam tanti collati muneris, neque R. P. V. talis Collega unquam pœnitebit.*

Ex Epist.
ad Ducem
Venet.
1466.

In altera ad Ducem Venetiarum sequentia: *Jam pridem cognitum est F. V. studiosissimum desiderium nostrum super eo, ut R. P. D. Stephanus Archi-Episcopus Colocensis in S. Ecclesiæ Cardinalem promoveatur. --- Sollicitant viri ipsius (pro quo motu proprio, & minimè rogati intercedimus) merita clarissima. --- Cum igitur exploratum ha-*

habemus F.V. apud summum Pontificem, & S. Collegium meritò suò plurimum valere, ac posse, rogamus, quatenus partes suas interponere velit.

Ut porrò ardens Regis Matthiæ in cooptationem Stephani ad Coetum Cardinalium studium, & singularis conatus clariùs elucescat, placuit hic ejusdem Regis unam ex pluribus subjicere epistolam, quâ apud Paulum II. Pont. Max. multis commendat Stephanum, & dilaudat, ut quantocyùs in S. Cardinalium Collegium referatur, cujus tenor est sequens:

Beatissime Pater, & Domine, post oscula pedum &c. Inter curas, & sollicitudines meas, quibus hoc tempore in diversum agor, illam ex primis jam pridem confessus sum mihi cordi esse, qua ad promotionem Reverendissimi Domini Colocensis spectat. Alia cura meæ aliò intendunt, hac sola est, que frequentiores literas ad Sanctitatem Vestram dare, & eandem crebris pulsare sermonibus cogit. Nec tamen velim, hoc idcirco Me facere putet Sanctitas Vestra, quòd diffidam promotionem ipsius Domini Colocensis eidem sanctitati Vestra, & in animo, & in beneplaciti-

*Epistola
Matth. R.
ad Paulum
II. Pont.
Max. de
Steph.*

cito esse; quandoquidem sub hoc ex relatione Oratorum meorum certior factus sum; sed considerans, quid rebus publicis, quidve privato statui Regni mei, & quid demum causæ communi proficiat, omnem moram, quæ vota nostra protrahit, totis viribus redimendam, & corrigendam censeo. Accepit puto Sanctitas Vestra, & clarè intellexit ex prioribus literis, & succedentibus Oratoribus meis, quid causæ supersit, & quid hac tempestate me induxerit, ut huic rei consequenda curam maximè adhiberem. Hoc unum tamen repetere dignum duxi, quòd cum Prælati Regni nostri in spiritualibus negotiis Judices, & Patroni sint, in temporalibus verò ex magna parte Directores, & columna, tum maximè statum nostrum, & communis defensionis expeditionem rectè procedere sentimus, cum Prælati ipsi plurima pollent auctoritate: quod si unquam fuit, nunc potissimum, ut fiat, opus esse, credendum est. Accedit huc, quòd in presenti rerum statu peropportunum fuit inter alios ipsum Dominum Colocensem in partem curæ, & sollicitudinis meæ advocare ad eas præcipuè partes, quæ

Nan-

Nandor-Albam versùs sunt, per quas scilicet Turci communes Christianorum hostes in Regnum hoc crebrò irrumperere conantur, hunc in absentia mea cura, & tuitioni illarum partium præficere congruum putavi, qui omnia ex sententia nostra facturus ex antea actis optimam de se spem, ac fiduciam præbet, eoque maximè id facere, & operari idoneus erit, si ultra hoc, quòd apud Nos magnus est, etiam à Sanctitate Vestra pluris haberi, & ampliori dignitate adornari videbitur. Non gravetur ergo Beatitudo Vestra, nec indignum ei videatur his tam justissimis votis nostris, sed & illius Viri meritis se præstare benevolentiam. Mihi credat non minùs honorem Apostolica Sedis in hac Persona, quàm personam ipsam in hac dignitate promoveri. Habuerunt priores summi Pontifices eam affectionem erga hoc Regnum, ut absque magna prædecessorum meorum instantia promotiones Prælatorum ipsius Regni sponte sua cura haberent, & ultro hanc Cardinalatùs dignitatem sacram ad plerosque ex eis detulerunt, animadvertentes Regnum hoc non pejorem conditionem mereri, quàm cetera Regna, quæ ut plu-

Bonfi: etià ad annum 1464. testatur Stephanum de Varda fines Hungaricæ ab excursionibus Turcarum tutum esse.

rimum suis Cardinalibus adornantur. Quapropter ut paucis, quae Me sollicitant, concludam, si Sanctitas Vestra Virum vitâ, & moribus integrum, multarum rerum, & disciplinarum cognitione ornatum, in Spiritualibus religiosum, in temporalibus providum, Parentum nobilitate clarum, rebusque gestis non obscurum, in pretio habet: si denique status nostri incrementum, & rerum nostrarum firmum praesidium, ut non dubitamus, amat, non patiatur differre petitam à Me, & à Sanctitate Vestra promissam hujus Viri promotionem: efficiatque, ut quem in hoc prociectu vicaria rerum publicarum curae Archi-Episcopum relinquo, in redditu meo, ad vota, beneficio Sanctitatis Vestrae Cardinalem repetiam. Quod si citius collatum fuerit, & ipsius Viri usus, & publica causa commodum Mihi duplicabitur. Conservet Dominus Sanctitatem Vestram feliciter regimini Ecclesiae suae sanctae, cujus pedibus Me humiliter commendo. Datum in Castris exercitus Nostri prope Oppidum Saxard, Die 18. Septembris, Anno Domini 1465. Regni nostri Anno 8. Coronationis vero 1.

Unde re-
felluntur
Historici,
qui illū ob-
scuro loco
in Hunga-
ria exortum
scribunt.

Scri-

Scriptores exteri Stephanum suffragante Ludovico XI. Francorum Rege S. Collegio adscriptum esse memorant; at credibilius est, eum legatione functum ad hunc Regem commissa sua agendi dexteritate, ac morum integritate hujus quoque Regis sibi devinxisse animum, unaque ab hoc pro obtinenda ea dignitate esse commendatum. Fuit Stephanus, ut in Dionysio vidimus, unus e septemviris, qui sacram Hungariæ Coronam à Friderico Augusto receperunt. Migravit è vita in natali solo ex libro Divisionum in Vaticano servato, circa mensem Junium 1471. ex Ciaconio verò, & Auberio 1473. Videatur Felix Contelorius.

G A B R I E L
RANGONIUS,
S. R. E. CARDINALIS,

Episcopus Albensis, seu Transylvaniensis, Agriensis.

Gabriel Rangonius, Italus, (Spondano domo Mutinensis, Bonifacio Brixienfis) si patris natales spectentur, è Comitum Rangoniorum sanguine; si matris, ex adolescentula

Natales ejus. Juida, mores, Professio. Ex Geor. Jos. Eggs plurima.

quadam in agro Veronensi progenitus; magnum Hæreticorum debellatorem, præsertim Hussitarum, Christianæ Reip. se probavit. Susceptâ enim in Provincia S. Antonii Ord. Minorum regulâ, & habitu, eruditô ingeniô, & egregiâ scientiarum cognitione sublimis sacrarum literarum interpretres evasit. His animi dotibus præditus socius Joannis Capistrani, viri à sanctitate, & rebus gestis clarissimi in Ungariam delatus est. Regi Matthiæ probatissimæ vitæ suffragiô, & ingeniô percharus sæpius ad Pontifices, Reges, & Principes Legatus adhibitus est; quibus functionibus eam Regi, & Regno navavit operam, ut plurimum utrique emolumento fuerit. Inter Ungaros, Polonos, & Bohemos bellô exortô, Corvino Comitem individuum se adjunxit, auctorque fuit felicis armorum exitûs; ineundæ item pacis cum Friderico Imperatore Caduceatoris impigrè munus executus est. Inter hæc à suis Provinciæ Austriorum Vicaria potestas ei imposita, ac Pii II. mandatô Inquisitor Hæreticæ pravitatis, plena cum auctoritate ad id officii, tam de

*Inquisitor
fit Hæreticæ
pravitatis.*

jure, quàm de consuetudine pertinente oblata, uti ex literis ab eodem Pontifice datis Añò 1460. liquet, authoratur: delegato nimirum jure, quòcunque modò, etiam adhibitò brachio sæculari in Hæreticos inquirendi, atque animadvertendi, & in gremium Matris Ecclesiæ redire volentes arbitrato suo recipiendi. Eâdem insuper potestate gaudere voluit illos Pontifex, quos sibi subrogandos Gabriel censuerit. Hortatur ad extremum Inquisitorem, ut omni studio in id unicè incumbat, quod Hæreticæ pravitati penitè extirpandæ magis proficuum perspexerit. Et verò non fefellit providum Patrem in Gabrielem translata potestas, ac spes, quando brevi Hussiticæ hæresis virus latè per Moraviam, ac Bohemiam magna ex parte cum capitis sui periculis compressit. Multos prædicatione, privatis, ac publicis congressibus; multos morum probitate, vitæque exemplò ad sanam mentem reduxit. Quas ob res Pontifex Max. quantum vix credere fas est, ejus operam, & virtutem approbans, ex Austria in Italiam, ad comitia sui Ordinis discessum parantem

tem hinc abscedere porrò vetuit. Sed apud congregatos Patres datâ epistolâ die 15. Aprilis Anni 1467. excusatum haberi prorsùs voluit, ut qui publicæ Ecclesiæ utilitati tum maximè serviret. Atque eapropter ut absentiam ejus æquius ferrent, congregatis, totique Minorum familiæ favores Romanæ Sedis sponndit. Tanti scilicet intererat unum abesse comitiis, ut omnes favorem mererentur. Itaque Gabriel demandato sibi muneri adedò sedulus institit, ut trium Ecclesiæ Principum inclusus animis gereretur. In illo autem, & ipse dignitatem maximè sitam esse sentiebat: tum verò, & justus, ac honestus labor, honore, præmiis, splendore, ab aliis decorabatur. A Matthia siquidem Rege sui amantissimo, primùm Albeni, seu Transylvaniensi, mox Agriensi majoris dignitatis, & censûs Episcopatus præpositus est. Demum cum Pontifex Hungariam Senatore Vaticano exornare statuisset; Rex, quanquam plurimi sanguine, ac clientelâ clarissimi ad eam dignitatem aspirarent, soli

Gabriel fit Gabrieli, aut nulli deferendam, existi-
Cardinalis. mavit. Igitur Annò Salutis 1477. fa-

vore Pontificio, Regiôque, albo Pur-*Henricus*
 puratorum Patrum ad titulum SS. Ser-*Spondan. ad*
 gii, & Bacchi Præsbyter Cardinalis *ann. 1478.*
 absens adscriptus est. Cùm verò vo-
 cante Pontifice Romam ad capeffen-
 da honoris insignia iter faceret, Bo-
 noniam fortè pertransiens, à Joanne
 Bentivolio Viro primario hospitiô ex-
 ceptus, repertum inibi Comitem Ni-
 colaum Rangonium, Bentivolii Ge-*Genus*
 nerum complexus, ter fratrem com-*suum ma-*
 pellavit. Stupentibus prorsus can-*nifestat.*
 ctis, & quò pactò tanti Viri sanguine
 juncti essent, demirantibus; natales
 suos hætenus nemini notos, avidè au-
 scultantibus recensuit; quòd nempe
 ex Patre Nicolao, & ex illecta puella
 agresti elegantis formæ susceptus fue-
 rit; & post adhibitam studiis (patre
 sumptum suppeditante) diligentem
 operam ex Ordine D. Francisci gra-
 datim ad hunc honorem pervenerit.
 Hinc cum desiderio sui discedens
 octavo Idus Decembris anni ejus-
 dem, quò nomen Cardinalis indeptus
 erat Urbem ingressus, quatrividuò post
 dicundæ in Senatu sententiæ potesta-
 tem accepit, quod *aperire os* dicunt.
 Modus porrò quò receptus est, hic

*Modus exci-
piendi Ro-
mæ Cardi-
nalior.*

erat: Sub urbis ingressum usque ad portam populeam Patres omnes ei obviam processere; unde servato ordine in Vaticanum, ad Sedem Pontificiam, duos inter primos Ordinis inferioris Cardinales deductus est. Præstolabatur eum Pontifex in throno suo, cum adunato ad id Senatu publico; tum novus Cardinalis conscendens gradus throni, ad osculum pedis, manuum, & oris processit; inde singuli Patres pariter eum ad oris osculum admisere; quos per ordinem complexus, & cum veneratione deosculatus, locum, ex vocationis suæ ordine convenientem occupavit. Cæremoniis his terminatis, Senatus dimissus, Cardinali novo domum, quam in Pelliçiano trivio sibi conduxerat reducto. Atque hic ritus servatur, cum primum Cardinales recipiuntur in Senatum.

Octenniò Purpurâ maximis virtutibus illustratâ, ac insuper Legatione in Regno Neapolitano adversus Turcas obitâ, multisque aliis industriæ suæ relictis vestigiis Card. Gabriel An. partæ Salutis supra millesimum quadringentesimò octogesimò sextò naturæ pensum solvit. Corpus in
Tem-

Templo sui Ordinis ad aram Cœli in
 faceilo D. Bonaventuræ, quod dum
 viveret, erexerat, conditum est. Ejus
 Elogium his verbis contexuit Oldoi-
 nus: *Eâ fuit animi moderatione, &*
morum gravitate, ut per annos 30. nul-
li mortalium se succensuisse recordare-
tur: dexteritate ingenii, maturitate
consilii, natura mansuetudine, doctri-
nâ, & pietate nemini suâ etate secun-
du. Maximis æquè laudibus à Pa-
 piensi extollitur, dignissimûsque Pur-
 purâ, multâ verborum congerie præ-
 dicatur. Hinc adverte Lector sa-
 piens, & Polonos scriptores halluci-
 natos fuisse, dum discordiarum non
 tranquillitatis seminatorem fuisse scri-
 psêre; & iniquè à Bonfinio homi-
 nem superbum, ac ambitiosum con-
 temptim vocari, tantis viris reliquis ab
 eo stantibus, ejusque partes
 tuentibus.

August. Ol-
deinus in
Additi. ad
Ciaconium.

Anton. Fon-
fin. Decad.
4. L. 3. ad
An. 1473.



J O A N N E S
V I T E Z I U S ,
S. R. E. C A R D I N A L I S .

Archi-Episcopus Strigoniensis.

A Nnô Dominicæ Incarnationis, inquit Continuator Ciaconii Augustinus Oldoinus, 1471. Pontificatus sui septimô Paulus II. in secreto Consistorio renunciavit quatuor Cardinales eâ conditione, ut eveniente obitu suo statim intelligerentur publicati, datique fuerant eisdem tituli Cardinalatûs. Disceptat deinde auctororum sententiis, an valuerit hæc pronuntiatio & institutio Cardinalium; tum subjicit Joannem Wratislaviâ oriundum Archi-Episcopum Strigoniensem fuisse primum ex nominatis illis quatuor Cardinalibus. Verùm mihi perspectam aliquousque habenti seriem Archi-Episcoporum Strigoniensium apertè liquet, non fuisse Joannem Wratislaviensem, sed alium cognomentô Vitézium; qui anno insequente conjurationis contra Matthiam Regem Hungariæ initæ reus, & condemnatus, inarce Vif-

se-

segradensi aliquamdiu custoditus est; unde patrociniò Legati Apostolici exemptus, eòdem annò naturæ cessit. Atque adedò vera est hæc Oldoini conjectura: *de quo, vel quòd maturius aliis obiverit, vel quòd alià fuerit ratione præteritus, nullà postea habita ratio.* Joannes enim Wratislaviensis successor illius, & gratiâ pollebat apud Regem hoc tempore, & pluribus vixit annis. Joannis autem Vitézii genus vitæ ex amplis Antonii Bonfinii, & Galeoti Martii narrationibus hujusmodi fuisse colligere possumus. Fuit vir jure Pontificio, & studiis humanitatis liberaliter eruditus, Astrologiæque adedò deditus, ut Ephemerides secum gestans, nihil nisi consultis astris ageret. Corvinae genti amicissimus, Matthiam præceptis latinitatis instituit, pro eodemque Hungaris reddendo legationem apud Georgium Bodiebradium subiit, & præcipuus ad regium honorum ei adjutor fuit. Quas ob res Matthiæ vicissim charissimus, dignitatem Perpetui Comitis Comitatus Bihariensis ut Episcopus Varadiensis, & infulas Strigonienses accepit

*Joannis res
gestæ.*

pit. Strigonii degens Doctorum virorum societate summè delectabatur, arcemque ad omnem elegantiam apparatus. De hac arce Galeotus Martius ait: *Strigonium oppidum Hungariae in ripis Danubii situm, à Buda, quò secundò fluviò descenditur, triginta millibus passuum distans, arcem habet in edito colle munitissimam & pulcherrimam. Nec immeritò: fuit enim aliquando Regum domus, & habitatio, & in ea arce templum, cujus pronatum, & solum prophyreo lapide constructum, à longè habens prospectum, vasis aureis, argenteisque nec non pulcherrimo & ditissimo Sacerdotalium vestimentorum apparatus potest cum omnibus jure certare. Estque Strigonium Ungariae metropolis, cum opulentissimo Archi-Episcopatu. Nam florentibus rebus, ad centum millia aureorum proventus se ostendebat, nunc verò vix dimidium obtinet. Hujus arcis possessor fuit Joannes. Ita ille. De cætero Joannes natione Sclavus, evocati ad solium Hungaricum S. Casimiri, cumulas, ut præfati sumus, pænas dedit. Pingendas curaverat in quodam cœnaculo omnium Regum Hun-*

*Arx Strigoniensis.
Galeot.
Mart. de dictis ac factis Matth. Regis.*

Hungariæ usque ad Matthiam Corvinum imagines, quibus quatuor sequentium figuras adjecit. Primò locò visebatur effigies regia in throno dormitans; secundò verò rursus effigies regia, ante cujus pedes ignes discutiuebant, enecabantq; homines; tertiò locò nudi duo viri luctantes pro Hungaria, sub quorù pedibus corona Hungarica. Sed qui sic vanitate Afronomicâ futura præscivisse videtur quibusdam, casus suos prænoscere non potuit.

*Gregor.
Pettò in
Chron.
Hung.*

J O A N N E S
DE ARAGONIA,
S. R. E. CARDINALIS,
Archi-Episcopus Strigoniensis.

Joannes Aragonius Beatricis Reginae, filiae Ferdinandi Regis Neapolitani, & Matthiae Regis Hungariæ conjugis, frater erat. A Sixto IV. inter Cardinales 1477. cum Gabriele Rangonio, vix adolescentiam ingressus cooptatus est. An. æræ Christianæ, 1479. exeunte, ut Legatus Apostolicus venerat in Pannoniam. A Matthia Corvino horâ tertiâ noctis exceptus est omni
(ut

Joannis Genus & Legatio in Ungaria.

(ut exaggeratâ oratione narrat Bonfinius) apparatu, ornatûque visendo, atque ad eò, qui vel summi Monarchæ vota, & ambitum superâisset. Cum plausu enim maximo, cum consalutatione Antistitum, & Procerum honorificentissima, cùmque tot funeralibus & cereis Budam admissus est, ut concubium in meridiem versus dixisses. Quocunque se vertebat exquisitis excolebatur honoribus, ut nihil supra posset quisquam vel requirere, vel concupiscere. Sexto postmodum mense, ex quo advenerat Regiis muneribus cumulatus, à Corvino tantisper dimissus est, dum anno sequente ad regendum in Ungaria primariam Basilicam revertetur. Orbata enim fuit hâc ætate pastore suo, & Patre Strigoniensis Metropolis, sive potius vitricum, & mercenarium quendam habuit, qui procul ab ovibus, & filiis agebat. Joannes is erat Alemanus Bonfinio, qui aut Regis metu, in cujus suspicionem inciderat; aut ab Imperatore clàm accersitus, convasatis suis rebus, magnò argenti, atque auri numerò corraso, in Austriam secesserat Idibus

*Joannes
Strigon. Ar-
chi-Episcop.
elabitur in
Austriam.*

Febr.

Febr. Anni 1476. quô ipsô annô à Matthia comprobationem privilegiorum à Bela IV. Rege Archi-Episcopatu concessorum acceperat. Secessionem hanc, an fugam Wiguleus Hundus in Metropoli Salisburgensi, hōc modō contigisse memorat: *Fuit, inquit, his temporibus apud Matthiam* Wiguleus Hund. in
Ungaria Regem quidam Archi-Episc. Metropolē
Strigon. Joan. nomine, Wratislaviā Salisburg.
oriundus, qui paulatim plurima benefi- P. 28. & 29.
cia in Ungaria adeptus fuerat, homo sa-
gax, multarum linguarum peritus, &
prædices. Hunc Imperator ad se se
Viennam in scio Rege Ungaria, allexit,
vendiditque ei magnā pecunia summā
totum dominium Steir, cum pluribus
castris perpetuis temporibus possiden-
dum. Interea post aliquot annos Ber-
nardus Archi-Episcopus Salisburgensis
misit ad Imperatorem D. Gebhardum
Peuscher, Equitem, & Capitaneum Sa-
lisburgensem, qui illum certiolem face-
ret de resignatione Episcopatus. Im-
perator voluit in illius locum substituere
Joannem prædictum Archi-Episcopum
Strigoniensem, atque ut res in occulto
maneret, vocavit ad sese Bernardum in
oppidum Grätz, quasi consultaturus de
beb

bello Turcis inferendo: ibique in praesentia Joannis Archi-Episcopi D. Balthasaris de Weispriach, & D. Gebhardi Peuscher exclusis ceteris Consiliariis, cum Bernardo de resignatione Joanni facienda egit, quae omnia Bernardus in praesentia jam nominatorum scripto confirmavit. Poenituisse tamen Bernardum facti prodit idem auctor, & pergit: Imperator de tota re certior factus, ob tam insignem contumeliam omnes munitiones, & castra ad Ecclesiam Salisburgensem pertinentia in Ducatibus Austria, & Styria occupavit. Bernardus Archi-Episcopus cum ei resistere non posset, foedus iniit cum Matthia Rege Ungaria, tunc hoste Caesaris, eique omnes arces, & civitates, quae ab Imperatore nondum occupatae erant, in tutelam tradidit. Tandem Bernardus, multis acceptis damnis, Viennam ivit ad Imperatorem, & pluribus renitentibus Episcopatum resignavit, & Joannem Strigonien. secum Salisburgum, in Vigilia Epiphania adduxit. Anno ergo 1482. 14. Januarii in praesentia duorum Capitularium & provincialium, cessit administratio Ecclesiae Salisburgensis Joanni Archi-Episcopo

scopo Strigoniensi. Hæc Hundus, quorum aliqua ad majorem rerum notitiam notatione digna sunt.

Antequam Bernardus repudiatâ dignitate Episcopali apud Imperatorem gratiam reparâset, Joannes Aragonius titulô S. Adriani Presbyter Cardinalis redierat in Ungariam, annô scilicet 1480. non minori pompâ, omniumque Ordinum urbanitate, quàm antea acceptus. Et ingressus est quidem Strigonium 5. Idus Majas ejus anni, ut acciperet Sacerdotium à Matthia datum, titulô tamen Archiepiscopi Strigoniensis, quin redivis abstinuit, nisi forsitan quatenus opus esset ad sustentationem. Cùm enim Joannes Silesius nondum huic Archiepiscopatu se nuncium remisisse asseveraret, séque in Romano foro jure privari non posse contenderet; Cardinalis proventus apud Strigoniense Collegium deponi jussit, donec verus dijudicatâ lite possessor extaret. Quartô demum post annô Archiepiscopatus Aragonio judicium sententiâ addictus est. Rogatus aliquando Joannes ille Silesius, cur Archiepiscopatu, regnóque temerè cesserit?

Joannis Aragonii, & alterius Joannis de Archiepiscopatu Strigoniensi.

Caudati Monachi pulveres (ut est apud Bonfinium) longum ante Syrma trahentis, ultra se tolerare non potuisse respondit. Gabrielem Cardinalem cavillatus, quem sibi apud Regem præferri æquò animò pati non poterat. Migravit è vita Salisburgi 1489. Relinquens multa clenodia, & vasa aurea, & argentea, qua secum ex Ungaria attulerat.

Joannis Aragon. gesta in Ungaria. Joannes autem Aragonius cum amplissima potestate per Ungariam, Bohemiam, & Poloniam Sedis Apostolicæ Legatus annò 1481. Jubilæum promulgavit, & largissimam noxarum veniam impertivit cunctis, qui in atrocissimum nominis Christiani hostem arma fumerent. Quamvis nondum Archi-Episcopatu potiretur, tamen altiori potestate, nempe Apostolici Legati usus, advigilabat aris, lites inter sacratos componebat, morésque populi quosdam corrigebat. Martin. Szent-Ivanus legem ab eo latam perhibet, ut bis quotannis Collegia, & Domus Sacerdotum ab Episcopis recognoscerentur; quod postea in publicas tabulas, & decreta Regni à Matthia Rege annò 1486. relatum est.

Ad administranda vastissimæ Diœcesis negotia adhibuit Ludovicum Episcopum Aquilanum; quem ex Regno Neapolitano vocatum Auditorem Causarum, & Generalem Vicarium constituit. At enim non diu Hungaricâ aurâ fructus, ad delicias Italicas evasit, annô 1485. neque titulum Archi-Episcopi Strigonienſis ultra retinuit. Quo circa, qui plura ejus acta scire cupit, Italos scriptores evolvat. Concessit fato Romæ, Legationibus pro Ecclesia obitis clarus, ac memorabilis.

FRIDERICUS,

S. R. E. CARDINALIS,

Frater Uladislai Regis Hungariæ.

FRidericus Card. Frater Uladislai Hung. Regis, & S. Casimiri, filius fuit Casimiri III. Regis Poloniæ, & Elisabethæ Alberti Imp. Ducisque Austriæ filia, fœminæ lectissimæ, insigni Religione, & munificentia in cultum divinum. Annô 1493. Alberto Rege Poloniæ fratre postulante ab Alexandro VI. Pontif. Max. jussus est administrare Ecclesiam Cracoviensem,

tum Metropolitanam Gnesnensem, etiam Cardinalitio honore cumlatus. Interfuit anno insequente Leutschovia congressui Regum Hungariæ, & Poloniæ; in quo redintegrata est inter Reges germanos benevolentia, foedusque inter Ungaros, & Polonos percussum. Extinctus est annò 1503. morbò Gallicò. Fuit vir pro-cero corpore, vultu pervenusto, ac dignitatis plenò: Cæterùm à genitoribus, & fratribus degenerem audet adstruere Martinus Cromerus, rerum Polonicarum Scriptor: cui an fides habenda sit, dijudicet lector, ego, ut credam, adduci non possum. Subjungit tamen aliquid ad veram commendationem, nempe unum sui nominis monumentum illum in Basilica Cracoviensi reliquisse, quòd thecam calvæ D. Stanislai Martyris auream, & multis pretiosis gemmis, quas Academia præsidibus ademerat, distinctam contulerit.



HIPPOLYTUS

ESTENSIS,

S. R. E. CARDINALIS,

*Archi-Episcopus Strigoniensis, tum
Episcopus Agriensis, &c.*

Hippolytus Estensis dictus de Ara-
 gonia Italus natione, patriâ Fer-
 rariensis, è claro conjugio Herculis
 primi Ferrariæ Ducis, cum Eleonora
 Ferdinandi Siciliae, citra Pharum filia,
 & Reginae Beatricis sorore vitam ac-
 cepit. Ferdinandus illi avus, proa-
 vus Alphonfus Rex Aragoniæ erat.
 Votò à matre sterili à DEO impetra-
 tus, nondum natus, jam à gravida, ali-
 quid augustum de foetu suo ominante,
 DEO sacratus est. Ut verò pueri-
 tiam, in qua pene infans excelsi inge-
 nii, indolisque ad majora quæque fa-
 ctæ indicia dabat, ne domesticæ in-
 malum detorquerent deliciæ; bona-
 rum artium studiis operam navare ac-
 curatam, severæ magistrorum tutelæ
 subjectus cœpit. Nondum septi-
 mum (Bonfinius habet nonum) æta-
 tis annum supergressus fuerat, cum
 Annò 1487. eum Berardinus Comes
 Mo-

*Natales
Hippolyti.
indoles, &
Ardia.*

*Hippolytus
adventus in
Ungariam.*

Modrusiensis in Archi-Præfulem Strigoniensem accitum, cum insigni comitatu venientem Zagrabiaë excepit. Matthias autem Corvinus Hung. Rex, eo tempore cum Cæsare bellum gerens, cum appropinquasset, ab obsidione Novæ Urbis Austriaë, cum Regina, & exercitu adventanti Hippolyto occurrit, & complexu, osculòque salutatum, filii locò deinceps habere voluit. Nec aliud à Beatrice Regina Hippolyti matertera, plurima cum amoris significatione actum est. Adolescentulus militaris gloriæ eximius tyro, Rege præstantissimo magistro, cujus à latere nunquam recessit, in arte regendorum militum, bellandique scientiâ plurimùm profecit. Pannoniam septenniò incoluit, quo decurrente literarum studiis ad graviores usque disciplinas imbutus est, doctusque arduum Hungarorum idioma; tum adèò morum elegantiam Regni nobiles in amorem sui æquè, ac æstimationem pertraxit, ut haud aliter, atque Princeps indigena suspiceretur, & amaretur. Nec verò indignus erat his amoribus, quem & robur animi, excelstitasque ingenii, & Principe

*Describit
eam Bonfin.
Dec. 4. l. 8.*

digna corporis majestas commenda-
bant. Patronam Hungariæ, illâ con-
stantiâ, laudibus, quæ Deiparæ statis
horis canuntur, veneratus est; ut
quas puer memoriæ mandaverat, eas-
dem senex à se exigeret.

Posteaquam verò Annò ab orbe *Hippolitus*
redempto 1490 Rex Matthias vivere *fit Cardina-*
desiit, Reginam Hippolytus filialibus *lis.*

profecutus officiis Strigonium immi-
sit; quò locò & ipse vitam degens
ab Alexandro hujus nomenclaturæ
VI. Sumò Pontifice 1492. Purpuratis
Senatoribus additus, & Diaconi S. Lu-
ciæ in Silice titulò condecoratus est.

Añò, quò Uladislavus in Regé Ungariæ
ungédus erat, id operæ Hippolyto, ut-
pote Metropolitæ Strigoniensi incum-
bebat; verùm cùm per ætatem non
posset, neque præcipuis ordinibus in-
signitus esset, hanc provinciam ces-

Uladislavũ
Regem non
ungit.

sit Oswaldo Zagrabiensi Episcopo;
nec eum adfuisse cæremoniis testatur
Bonfinius, nec ad calcem Decreto-
rum Uladislav Regis anni 1492. no-
men ejus adjectum est. Annò 1497.

Cathedram Strigoniensem, Rege Ula-
dislavo Summum sacrorum Modera-
torem urgente, remisit Hippolytus

Strig. Ar-
chi-Episcop.
resignat.

Thomæ Bakacſio; cùm enim Strigoniens. Antistites fuerint à secretis intimis ab antiquissimis temporibus Hungariæ Regibus, sempérque habitati sint præcipui Consiliarii, præstare id Hippolytus nequibat, tum ob ætatem immaturam, & imparem huic negotiorum moli, tum ob diuturnam à Regno absentiam, & instantem præparationem discessûs. Itaque aliò subrogatò in Strigoniensem, Agriensis prope par quondam reſtitibus, Episcopatus ei traditus est; quem retinuit ad Annum usq; 1514. quanquam Ungariam continenter non incoluerit. Verum ad Cardinalitiam ejus dignitatem revertamur. Cognitâ Hippolytus sui in Vaticanam Curiam adlectione, Ferrariam migravit; ubi patri (filii in Purpura modestiâ, & prudentiâ admiranti) exhibitâ debitâ reverentiâ Pannoniam repetiit. Paulò post ad capeſſendum galerum invitanti supremæ Sedi morem gessit, ac Romæ incredibili apparatu, lætitiâque exceptus est, ad adventum tanti viri totâ urbe in plausum, & occursum sese effundente. Hinc Mediolanum à Ludovico Sforzia accersitus,

*It Romam
pro galero.*

fitus, ejusdem in arduis rebus, quas
 tum moliebatur, strenui adjutoris, &
 socii partes non sine remuneratione
 implevit. Nam urbi huic Antistes *Varios Epi-*
 datus, D. Ambrosii tres, decémque *scopatus*
 annos successor fuit, citra offendi- *admini-*
 culum vestigiis illius insistens. Ro- *strat.*
 mam subinde ad nuptias Lucretiæ
 Borgiæ, & Alphonsi fratris invitante
 Pontifice Max. & svadente Patre
 repetiit; quâ occasione Archi-Pres-
 byteratûs S. Petri in Vaticano cum
 Ecclesia Capuensi dignitatem obti-
 nuit. Paulò post verò Ferrariensi,
 mox secundum aliquos Mutinensi in
 Italia, tum Narbonensi in Gallia Ec-
 clesiæ præfuit. In quibus omnibus
 virum adeò mirabilis prudentiæ, &
 judicii sese exhibuit, ut ab omnibus
 Europæ Røgibus & diligeretur, & in
 pretio haberetur. Cæsaris Personam
 in Italia cùm Vicarius egisset, ob illi-
 batam fidem, & inconcussam animi
 robur, Montagnanum, & castrum Bal-
 di in præmium tulit.

Aberat eo tempore Româ, quò *Cetera ejus*
 de hac vita annò salutis 1503. Ale- *gesta.*
 xander VI. evocatus obiit; admoni-
 tus extemplò eques Romam festina-
 bat,

bat, sed infortuniô suô moram passus est; siquidem equi cespitantis lapsu, crure dextero fracto, medicorum consiliô Florentiam delatus, ibidem curando vulneri ad obitum Pii III. intentus mansit. Firmato pede, novo Pontifici suffragium laturus, nullâ interjectâ morâ Romam iter aggressus, à Ludovico Rege Galliarum XII. bellô tunc Italos persequente, ad quem visendi gratiâ diverterat, summo exceptus honore, secretioribus adhiberi consiliis meritus est. Maximilianum Imperatorem Patavium obsidione, & armis prementem, à Sede Apostolica auctoritate sibi delegatâ, adiit. De classe Venetorû Padô adversum Alphonsum fratrem suum delata palmam tulit, cum non minore animo, quàm viribus prælium auspicatus, quasdam triremes cepit, duas exussit. Ab Hippolyto victoriam stetitisse argumento sunt signa militaria, hostium manibus erepta, quæ in primaria Ferrariæ æde ad posterorum memoriam appendit. Evenit aliquando, ut conciliabulum adversus Julium II. nonnulli factiosi Cardinales, Rege Galliarum favente, &

rem

rem promovente, adornarent; cui Hippolytus, quanquam graviter tentatus, nullâ arte subscribere voluit; admirabili nihilominus dexteritate usus, nec Regem offendit defendendo Pontificè, nec Pontifici displicuit, quòd in Regem non insurgeret. Meritò proindè ab utroque vir sapiens dictus est; qui nôsset partibus adversis jungi, quin alterutram læderet. E Gallis reversus in Italiam salutavit Pontificem, & valere jussit, ipse in Germaniam abiit, inde Pannoniam revisit; ubi non minori, quàm à Cæsare in Germania honore, ab Uladislao Rege acceptus est. Leone X. in locum Julii, qui Annò 1513. fati cessit, ad Regnum Ecclesiæ evecto, invito Ladislao, & ipse invitus, valedicto, magnis itineribus ad Urbem properavit. Ibi Leonis reverentiâ de genu exhibitâ, adeò sibi Pontificem devinxit, ut non dubiè colligi potuerit, inter intimos, quoad vixit, fuisse adnumeratû. Cùm verò Leo Bononiâ profectus fuisset, cum Francisco Galliarum Rege congressum habiturus, Hippolytus comes individuus, & Sanseverinas primi Diaconi Cardinales

gem in medium recipientes ad Leonis conspectum deduxêre. Ferrariam inde reversus, ob vetustatem ruinæ proxima Episcopatûs palatia propriis impensis restauravit. Fertur etiam dignâ Præsule munificentîâ Agriæ primariæ sacrae ædis tectum, igne absumptum refecisse; quod ætate nostra majorem opem frustra implorat.

Neptem suam in Poloniam ducit.

Desponsatâ Bonâ Sfortiâ nepte ex genere materno Regi Poloniae, invitatus Hippolytus à Sigismundo in Sarmatiam, regales nuptias non modò pro dignitate ornavit, sed ipse sponsam ad Regium thalamum honestissimo comitatu deduxit. Dum in Polonia ageret, Regi perquam charus, Proceribus Regni prorsus admirabilis visus est. Inde instantibus Uladislai Regis precibus exoratus, rursus Pannoniam invisit, Regium amorem, benevolentiam, & munera in se superari non passus. Confectis in Ungaria ex animi sententia rebus; & auditò, fratrem Alphonsum ex morbo decumbere, Ferrariam advolavit. Ubi aliquanto post (Hippolyto nepote priùs ad Mediolanensem Insulam locò sui promotò, ac hæreditatis suæ fra-


tre

tre possessore scripto) in morbum lethalem incidit, ac morbi vi prævalente, Sacramentis Ecclesiæ magnam cum fide, ac pietate susceptis, placidè diem postremum clausit, qui erat tertius Septembr. Anni à partu Virginis 1520. Cadaver sacrarium Ecclesiæ ejusdem Urbis excepit. Laudavit defunctum apposita oratione Cælius Calcagninus. Mortem optimam oppetiisse Hippolytum nemo inficias iverit, qui ejus in Matrem agonizantium MARIAM, pietatem secum reputaverit. Illius enim amore succensus, in puellas maritandas, & Sodalitatem hunc in finem erectam plurima beneficia contulit, idque clanculum, ne quâpiam vanitatis aurâ virtus ejus afflaretur. Sanè nullum annum elabi passus est, quò non minimùm decem puellis in nuptias suffecturam pecuniam erogâset.

Fuit denique Hippolytus Cardinalis, ut sermone scriptorum omnium circumfertur, Princeps magnanimus, pius, liberalis, consiliò, manúque potens, constans, doctorum virorum refugium. Ludovicò Ariostò, & Franciscò Nigrò, aliisque viris eximiis, non
mi-

Obitus Hippolyti.

minùs piô, quàm doctô famulitiô oblectabatur. Mathematicarum disciplinarum Geometriæ, Arithmetices, & Musices exactam affecutus scientiam. Scriptum ab eo traditur de certamine navali linguâ vernaculâ, quô de classe Venetorum Annô 1509. victoriam reportavit; qui liber postea à Cœlio latinitate donatus est. Carmine verò tum sacro, tum profano eruditum Poëtam se fuisse demonstravit. Qui de Hippolyto hoc plura velit; is Alexandrum Sardum vitam ejus enunciatè & politè scribentem adeat; nos brevitati studuimus. Unum nonnulli, quanquam modicæ fidei scriptores, ei vitio tribuunt; quòd Julio fratri suo oculos effodi præceperit, eò quòd hic aversionis cujuscpiam illustri matronæ à se, quam deperibat, auctor fuerit. Cujus criminis etiam à Morerio incusatur. Lectoris judicio permittimus, an tantum scelus in virum adeò insignem cadere potuisset.



THOMAS BAKACZ

sive BAKACS S. R. E.

CARDIN: PATRIARCHA
CONSTANTINOPOLITANUS,*Archi-Episcopus Strigoniensis.*

Thomas Bakacsius Ungarus, in *Thomas Ge-*
 gressus in vitam apud Erdödium, *mus.*
 quod etiam Titulium appellatur, op-
 pidum Bertholdi Dragffii ditionis,
 unde & cognomentum mutuatus est.
 Prodiit is quidem loco humili, ut vult
 Istvánffius, cum fratribus Joanne, *Nicolaus*
 Valentino, & Benedicto; parentum *Istvánffius*
 tamen curâ, ac docili præprimis in- *lib. VI. ad*
 dole, fertilique ingenio suffragante, *an. 1520.*
 ea tum virtutis, tum literarum funda-
 menta jecit; ut natales abundè resti-
 tueret. Positis in patria rudimentis
 latinitatis, Viennam Austriæ Metro-
 polim delatus, ad excipiendas reli-
 quarum artium disciplinas animum ap-
 plicuit; quibus à prima juventute im-
 butus, eos mox progressus fecit; ut
 vir summâ postmodum eruditione
 conspicuus, in paucis egregius eva-
 ferit, & propagatâ virtutum ejus, ac
 doctrinæ famâ, totâ latè Ungariâ in-
 cla-

*Viennæ Au-
striæ studet
Thomas
Bakacs.*

claruerit. Absolutis itaque Viennæ magna cum laude, pro præcellentis ingenii magnitudine, severioribus tum Philosophiæ, tum Theologiæ studiis in patriam redux, ea probitatis, atque prudentiæ indicia dedit, ut Præposituram Tituliensem Canonico- rum Collegiô, & Archivô Regni insignem, ætate provectiori adeptus fuerit. Dein grandior natu, atque ad- auctis in dies magis, magisque meritis, à Matthia Rege ad Zagrabiensem Ca- thedram promotus; ubi industriâ, ac laboribus assiduis, obsequiisque Mat- thia regnanti charus, mox ab eodem Jaurinensi Sacerdotio donatus est. Quo in munere cum omnium expe- ctationi, atque conceptæ de se opi- nioni largiter satisfacisset, Cancellarii simul munere fungebatur.

*Fit Episco-
pus Zagra-
biensis, dein
Jaurin. &
Cancellari-
Regni.*

Extinctô Matthiâ Rege, evectôque in solium Regni Uladislao II. ab hoc quoque omnium consiliorum parti- ceps, atque arbiter factus, Ludovici pariter filii, & Regni curator exti- tit; cumque Hippolytus Estensis, qui eâ tempestate Sedem Strigoniensem tenebat, Summi Cancellarii, ac Se- cretarii Regii munus tantæ præfectu-

ræ impar, obire non valeret, Thomas *Fit Episcopus Agriensis, Summus Secretarius, ac Cancellarius.*
 erepto è vivis Urbano de Nagy Lucze
 quæstore duorum Regum, Episcopo
 Agriensi, & Episcopatus Viennensis
 administratore, Præsul continuò
 Agriensis dictus, eò simul gradum fe-
 cit, ut Hippolyto adolescenti Annò
 1492. sublectus, Regi esset à secretis,
 summusque Cancellarius nominare-
 tur.

Maximis id genus Regni magistrati-
 bus magnâ omnium satisfactione re-
 ctè, sapientèrque administratis, ob exi-
 mia, quibus præditus erat, virtutum,
 ac doctrinæ ornamenta, insignèmque
 præprimis prudentiam, ac religionem,
 in Strigoniensi Metropolitana Sede *Fit Archiepiscopus Strigoniens.*
 collocatus est Annò 1497. Hippolyto
 Estensi in Thomæ locum suffecto;
 quo dein etiam in honore Thomas la-
 bente eodem adhuc annò, ad preces
 Uladislai Regis à Summo Pontifice ri-
 tè stabilitus, & confirmatus est.

Tribus annis Ecclesiam Strigonien- *Fit demique Cardinalis.*
 sem præstanti instituto regens, cùm se
 se infimis æquè, ac summis Regni
 Proceribus, ipsique Romano Pontifi-
 ci magnopere probâset, amplissimis-
 que accumulatis divitiis in amicitiam

Veneti Senatûs venisset ; hujus demum, ac Uladislai commendatione in vicem præmii, & gratitudinis ab Alexandro VI. absens Romanô ostrô indutus est. Quô ut beatiùs, & plenius perfrueretur, totóque orbe clariùs effulgeret, eòdem adhuc annô Cardinalitii Galeri accipiendi gratiâ Romam contendit, titulúmque Cardinalis S. Martini in Montibus accepit.

Ad excelsum ergo Cardinei Ordinis fastigium elatus, ejusdemque insignibus omnibus exornatus, quàm bene comparati in Catholicam Religionem, Sedemque Apostolicam animi esset, luculentè ostendit, quando Turcis diffusionibus mutuis commotis, ad concitandos, adversùs hos Asiaticos Tyrannos, Christianos Principes, Summi Pontificis ope, & auctoritatè animum adjecit. Patiebatur enim eâ tempestate Bajazetes Turcarum Princeps, devictis, & pulsis Sahocule, aliisque Turcicæ superstitionis perturbatoribus, ex Asia reversus bellum intestinum, ambitione, & truculentâ Selymi minoris filii repentè exortum. Quod quidem eo fine, ac eventu ter-

mi-

*Thomas
Romam
proficiscitur.
Nicolaus Ist-
vanffi. lib.
4. Histor.*

*Tive Arumo
dissid.
8512.*

minatum est, ut Selymus prætoriano milite, ac purpuratis, quâ metu, quâ largitionibus, & ingentibus promissis suas in partes adscitis; Bajazeti jam senio, morbisque gravato, imperium unâ, ac thesaurum omnem nefariè extorqueret; eumque ad natale solum Didymosichum secedere volentem veneno pharmacis indito tolleret; fratresque Achomatem, quem pater successorem destinaverat, & Corcutum majores natu, eorumque liberos omnes, & nepotes impio bello persecutus, crudelissimè interficiendos curaret, solusque imperio per summum scelus potiretur.

Opportuna sanè hæc erat occasio potentissimis Christiani orbis Regibus, ac Principibus ad arma, contra barbaros, mutuis inter se odiis collisos unanimi voto arripienda, virésque, & opes suas adversus diram eam, & immanem belluam consocianda; quæ ex eodem tempore in tantam potentiam, & imperii amplitudinem excrevit, ut jam cultissimæ Europæ parti, terrâ, marique summè formidabilis immineat. Thomas ergo Cardinalis, ut erat ingenio acri, & magnò judi-

ciò, animadvertens, quòd extinctis fraternis Turcarum odiis, & bellis, omnis tempeftas in Pannoniam irruptura fit, remedia in tempore quærenda, & impellendos contra barbaros Christianos Principes Pontificis ore, & auctoritate censuit. Rege igitur convento, se iterum Romam iturum, operamque diligentem navaturum professus est, ne tam insignis, tamque commoda hostis invadendi opportunitas negligeretur. Adornatâ proinde profectioe, & rebus ad iter necessariis sumptuosè comparatis, magnâ etiam assumptâ equitum, & domesticorum catervâ, petendorum pro bello auxiliorum gratiâ urbem Romam versus iter fecit Annò 1513. In Veneratorum ditionem delatus, è Senatûs mandato, quòd multis officiorum generibus ei devinctus esset, splendide admodum, & lautè ubique habitus est; Triremis quoque expetenti, rebus omnibus apprimè instructa, quâ Anconam, & inde ad ædem D. Virginis Lauretanæ veheretur, oblata est. In ingressu Urbis exceptus est hilari fronte à Cardinalibus, Matthæo Langgo Gurcensi, à Maximiliano Cæsare

Thomas secundò Romanam proficiscitur auxiliâ contra Turcam petiturus.
1513.

pacis tractandæ in Urbem legato, & altero Anagnino honoris ergo obviam missis; ubi Julium de more veneratus, in aula Pontificia magno splendore, & munificentia ferè ultra annum vixit. Nicol. Istvanfii, & Petri Re-
 væ sententia est, Thomam Cardina-
 lem etiam eo fine Romam iter suscepisse, ut se, & divitias suas ostentando, multumque auri largiendo, ad summi Pontificatus fastigium perveniret. Sed nos tanquam rem incompertam in dubio relinquimus.

*Alteratio
 ob quam
 Romam est
 profectus
 Thomas.*

Dum Thomas Romæ moratur, & susceptum auxiliorum negotium remissius fortasse, quàm pro necessitate promovet, Julius interim senio, laboribus, morbisque confectus 20. Februarii è vita decessit. Cardinales conclavibus de more inclusi comitia habuere, ac his unà Thomas Strigoniensis interfuit, non parvâ, ut quidem tunc inter populares suos ferebatur, spe potiundæ supremæ in terra dignitatis. Verùm non multò post Joannes Medicæus, Laurentii Medicæi amplissimi, & toto terrarum orbe clarissimi viri filius, Cardinalium suffragiis, assumpto Leonis X. nomine

*Obit Julius
 II. Papa
 Thomas
 comitiis Leo-
 nis X. in-
 terest.*

Pontifex declaratus, spes omnes Thomæ elusit. Ejus tamen solennia Thomas etiam, & quidem non postremò inter cæteros locò cum dignitate celebravit, iisque peractis, cum eum tum privata, tum publica Regni, Regisque negotia domum revocarent, haud magno labore impetravit, ut novus Pontifex, qui exhaustò ærariò, exercitu, ac pecuniâ, rem Hungaricam juvare nequaquam posset, sacrorum diplomatum munera impertiret, quibus contra Turcam pugnantibus universorum criminum veniam; iis verò, qui pro tuenda religione mortem obiissent, æternam felicitatem polliceretur.

*Thomas
Enaks fit
Pat iarcha
Constanti-
nopolita-
nus, & re-
dit in Un-
gariam
cum Pulla
cruciata.*

His rebus confectis, posteaquam Romæ magnam sibi nominis famam comparavit, & Patriarchæ Constantinopolitani, & Legati à Latere titulis insignitus fuit, in patriam rediit, rationibusque Romani itineris, laborumque Uladislao Regi tum Budæ degenti expositis, ea, quæ à Pontifice auxilia obtinuerat, declaravit. Rebus deinde convocato frequentiori concilio prolixè propositis, prolatòque impetrato diplomate, Senatorum

ma-

magna pars, qui otio, & avaritiâ correpti, Regnum prædæ locò habebant, in Cardinalis ivêre sententiam; pauci, quibus nihil in Rempubl. momenti allaturum videretur, altiùs penitiùsque omnia consideranda, nihilque temerè decernendum suadebant, ne dum patriæ consultum vellent, vires, opésq; ejus funditus enervarent, plebémque in nobilitatem armarent. Verùm quantumvis hi magnò, rectòque animò differuissent, nequaquam tamen efficere quidquam potuêre, Rege ipso, ac Senatoribus cæteris in Cardinalis sententiam certatim abeuntibus.

Postridie igitur Cardinalis Budæ in templo D. Sigismundi re divinâ peractâ, indultum Pontificis pro concione promulgat; quò publicatò convenêre in unum brevi tempore plurimi, variæque sortis homines, qui mox præfecto iis in belli ducem Georgio Siculo, Dosa cognomine (qui eo tempore turmæ equitum Tauruni, seu Nandoralbæ præerat) in eadem æde D. Sigismundi vexillum album cum cruce prægrandi purpurea ad hoc Romæ præparatum, aliâmq; crucem æquè

Diploma Pontificium promulgatur.

purpuream, sed minorem, unà pro altari in genua provoluti paludamento infutam de manu Cardinalis acceperant, in castra, quæ in campo Pesthano sita erant, dimissi sunt.

*Cruciferorum multitudo confluit, & in Dominos arma ver-
tit.*

Congregatis deinde intra mensis spatium plusquam undecim hominum cruce signatorum millibus, iisque telis, omnique necessario belli apparatu instructis, spes nonnulla de propulsandis barbarorum copiis affulgere poterat, nisi illi ipsi conversis nefariè in Regem, ac Dominos armis, in ipsa patriæ viscera, rapinis, cædibus, populationibus, incendiis, longè, latèque defæviissent; atque aded è qua re potissimum subsidium Hungaria sperabat, exitium sibi conscivit. Quàm grandia, quàmque enormia mala perpetraverint improbissimi mortalium, pluribus recensere animus non est, præsertim cùm ab Istvánffio elegantissimo scriptore satis exposita, & plerâque majora longè, atque deteriora sint, quàm quæ salvâ pudoris lege à nobis scribi possint. Hoc unum addendum non meâ solùm, sed aliorum opinione, Cruciorum nomen ab hac sæce profluxisse.

De-

Debellatis per Joannem Comitem *Diarium*
 Scepusiensem improbis Crucigeris *Joannis Cui*
 anno insequente, qui fuit 1515. Ma- *Spinani*
 ximilianus Cæsar, ut erat ingenio sin- *Præfeci*
 gulari, animò volvens nihil esse præ- *Urbis Vien-*
 clariùs bono Principi, quàm Provin- *nenfis de*
 cias, & Regna sua solido quodam ro- *congressu*
 bore firmare, in omnes orbis partes *Cæsaris Ma-*
 oculos, animùmque conjiciens, nobi- *ximiliani,*
 lissimum sibi quemque Regem affini- *& trium*
 tate devincire satagebat, ut vel inde *Regum Vi-*
 ditiones suas, atque Provincias per- *enæ. 1515.*
 petuâ quâdam pace stabiliret. Po-
 steaquam igitur Philippò filiò in Hi-
 spaniam misò Regem Aragonium sibi
 obstrinxit, ipsèque Philippus nume-
 rosam post se prolem reliquit, Cæsar
 arreptâ denuò occasione, è quatuor
 filiabus secundâ post Leonoram, cui
 Isabellæ nomen, Regi Daniæ jam an-
 tea desponsatâ, quâ ratione proge-
 nies ejus ex septentrione in orientem
 propagata undequaque coalesceret,
 cogitavit. Videns proinde pientissi- *Maximil.*
 mum Hungariæ, ac Bohemiæ Regem *Cæsar affi-*
 Uladislauum, nobilissimis liberis Ludo- *nitatem*
 vicò, & Annâ à DEO Opt. Maximòq; *procurat cū*
 donatum, eos sibi devincire, (uásq; *Uladislao*
 Provincias firmissimo quòdam præsi- *R. Hung.*
 diò

dio munire constituit, Ludovico Ungariæ, & Bohemiæ Regis filio tertiâ nepte suâ Mariâ in uxorem datâ, Annâ verò Ludovici sorore uni ex nepotibus, Carolo, aut Ferdinando desponsatâ. Consilium ad id, operamque primam attulisse videbantur Matthæus Episcopus Gurcensis Cardinalis, & Joannes Episcopus Varadiensis Ord. S. Francisci, quorum potissimum labore, ac industria negotium fuit inchoatum, à Thoma verò Cardinali feliciter confectum.

Accessere dehinc non pauci Oratores, per quos Cæsar ultrò citròque sæpe missos, inter cætera negotia, duplicia simul hæc matrimonia sollicitabat: donec tandem & ipse Ulladi laum Regem conveniendi causâ, ac de cæteris Regnorum suorum, ac Provinciarum necessitatibus tractaturus, Augustâ Vindelicorum redux omnem moveret lapidem, ut concepta, ac meditata jam dudum matrimonia faustum exitum fortirentur. Quod ut facilius, atque ex animi sententia cederet, neptem quoque suam Mariam destinatam Ludovico Regi sponsam ex Flandria in Austriam evocavit; quæ
Vien-

Viennam 12. Junii 1514. delata, ibidem honorificentissimè excepta est. Indicto itaque per Oratores Cæsaris, atque Regis conventûs tempore, & locô, cùm illic etiam de concordia Cæsaris, & Sigismundi Regis Poloniae (qui eâ tempestate mutuis inter se odiis diffidebant) inter cætera negotia agendum esset, visum est Oratoribus, dissidia illa haud facilè componi posse, nisi Cæsar, & unâ duo Reges germani in certum locum coi-
rent. Id quô pactô factum sit, fusè, latèque traditur à Cuspiniano.

Postquam nimirum Uladislaus Rex Hungariae, & Ludovicus filius ejus Sigismundum Poloniae Regem incredibili pompâ, ac splendore Posonium ingredientem fraternos inter amplexus, magno Pontificum, atque Optimatum comitatu exceperunt, & Ludovicus miræ indolis juvenis, patrum exosculatus benignissimè adsalutavit: rebus antea suis septem dierum spatiô ordinatis, unâ cum Anna forore Ludovici Viennam contenderunt. Priusquam verò Urbem ingrederentur, constitutus erat primum conventui locus, in planitie quadam apud

*Sigismund.
Rex Polon
venit Posoni
um.*

vetus Carnuntum, sive juxta sylvam, quæ Germanicâ linguâ Dura denominatur. Collis hic erat intumescens aliquantisper, à dextra sylvam, à parte autem læva vepribus, modicisq; aspersum vineis monticulum prospectans, ideò præsertim electus, ut ex eo commodùm Cæsar à Polonis juxta, & Hungaris eminens conspici posset.

Cæsarem igitur cum omni suo exercitu ex Urbe in locum constitutum magnificentissimè advenientem Reges cum catervis suis, ac militum innumerabili multitudine, qui vestibus, atque armis more suo ornatissimè instructi procedebant, sonantibus undique tubis, ac tympanis accessere. Cæsar ut appropinquasse Reges vidit, è lectica, quâ cooperiebatur assurgens, datâque Regibus, & Reginae dextrâ, perquam concinnè inquit: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & letemur in ea.* Cui Rex Poloniæ: *Utinam, inquit, felix, ac faustus sit iste noster conventus, universæ Reip. Christianæ.* Paucula in similem sententiam Rex Hungariæ prolocutus, præ gaudio, animique, quibus affluebat solatiis, vix à lacrymis

Locus salutationi constituitur.

Salutationis mutua officia Imperatoris & Regum.

mis temperavit. Ludovicus verò filius, ut erat probè institutus, summa cum veneratione, ac reverentia ex equo procumbens, Cæsarem ceu parentem latino sermone salutavit; ipsa demùm Regina Anna è curru sese erigens, nam nonnihil sublimis, ac præaltus erat, vultu, verbis, ac gestu, suam in Imperatorem observantiam, piùmque animum palàm contestata est.

His celeriter peractis, cùm ad urbem procedendi tempus advenisset, nonnulli inani metu, atq; timore correpti, ne fortasse urbe cinctis quidam mali accideret, aliquam processui moram injicere videbantur; sed Sigismundus Rex Poloniae fidei publicæ Cæsaris se committens, ut progredierentur, dux, & auctor fuit. Principibus Viennæ appropinquantibus mille quingenti selectissimorum peditum obviam ière. Ad portam urbis Sacerdotum chorus, parvi quoque literarum studiosi civium Viennensium liberi, tum immensa multitudo Academicorum in suas classes distributa, opifices quoque suis ordinibus distincti, plebs denique omnis,

*Hungari
& Poloni
cunctantur
Viennam
ingredi.*

ac populus festivos inter applausus, Cæsaris, atque Regum ingressum præstolabantur.

*Descriptio
ingressûs
Viennam
trium Re-
gû & Im-
peratoris.
17. Julii.*

Erat sanè ingressus hic celeberrimus, ac verè regius, qualem à memoria hominum eo loci nemo unquam viderat, spectatu certè dignissimus, ipsiusque Cæsaris, ac Regum Majestati conveniens. Ordo autem erat talis: Post horam circiter quintam pomeridianam ante alios longo ordine procedebat familia Cardinalis Gurcensis, hanc pone sequebantur Wilhelmi Ducis Bavariæ centum sexaginta viri scutis, telisque ornati, post equites Ungari, quos Hussarones dicunt, tum tibicines, & Casimirus Marchio Brandeburgicus cum Comite de Hennenberg, ac suis familiaribus. Haud procul erant equites lanceis armati, aliique, qui ab obsequiis Principum erant. Exiguò intervallò ii, quos Comites Cæsaris id temporis appellabant, gradiebantur: qui gemmis, aureis torquibus, atque monilibus ante alios elegantissimè culti, omnium in se oculos convertebant. Horum vestigiis insistebant Nobiles Austriæ, numeroso trecen-
torum

*Joannes Cuspinianus in
Diario.*

torum quinquaginta equitum comitatu, aliique cum equis compluribus. Rursus Huffarones cum equis gradariis coopertis: & Moschi sagittarii, Tartarique suis tibicinibus raucum quiddam sonantibus stipati, tum Hungari sub suis vexillis, aliique habitu Turcarum, rubeisque tunicis induti; famulitium denique utriusque Regis, Principum, ac Episcoporum, quorum numerus iniri haud facilè potuit. Visebantur etiam multi pueri, ac iuvenes, qui brachia gemmis, ac unionibus onusta gerebant, multi quoque Poloni Germanorum more ita vestiti, ut ab his dignosci non possent. Exinde magno tum Germanorum, tum Polonorum equitum, suorumque comitatu in equo vehebatur Ludovicus Dux Bavariae, consequentibus equitibus, & tibicinibus Hungaris, equisque Caesareis: mox Caesareanarum copiarum ductor equo cataphraeto insidens in urbem ferebatur; cui proximi fuere varii Archiepiscopi, & Episcopi Hungariae: tum Summi Pontificis Oratores, Cardinalésque Thomas Strigoniensis, & Matthæus Gurcensis (quibus crux argentea deaurata praeferebatur).

batur) undique suis popularibus, ac ministris cincti. Præcedentibus dein primoribus, cæterisque Principum Consiliariis magno apparatu ingrediebantur urbem duo Reges, è quibus Sigismundus Poloniæ dextram, Ludovicus Hungariæ lævam tenebat. Cæsar autem, & Uladislaus senior Rex Ungariæ binis lecticis portabantur, circumfusâ undique lectissimâ nobilitate, vestibus aurô distinctis, gemmisque, ac monilibus ad luxum adornatâ. Currum inauratum, cui Anna Regis Hungarorum filia insidebat, albi trahebant equi, latera ejus stipantibus Marchione Brandenburgensi Georgio, & Petro Comite Basiniensi. Erat & alter currus; cui albi itidem juncti erant equi, portabátque virgines, nobilesque matronas Regiæ pedisequas, catervâ octoginta equitum Marchionis Georgii circumdatas. Agmen denique claudebant multæ quadrigæ, variique equites, qui crescente sensim pluvîâ hinc inde dilapsi turbato ordine processum abruptêre. Principes rectâ ad D. Stephani progressi, auditô Ambrosianô hymnô, in suas quisque domos, & hospiti-

spitia concessere. Atque hæc de magnifico hoc Regum eongressu, qualem ab hominum memoria, Vienna non viderat, eruditionis gratiâ dicta sufficiant; plura qui volet, consulat Diarium Cuspiniani, urbis Viennensis eâ ætate Præfecti, & quater, ac vigesies in Ungaria Oratoris. Nos brevitati consulentes ad Thomam Cardinalem regredimur.

Huic ergo, ut diximus, celeberrimo *Thomas Cardinalis* Cæsaris, atque Regum conventui *Universitatis nomine* Thomas Bakacsius interfuit, & eximia *Vienna sicut* prudentiæ suæ, ac dexteritatis monumenta reliquit. A summis juxta, ac *lutatur.* infimis omnibus humanitatis officiis excultus, à Ludovico verò Restione Vordingano florentissimæ Universitatis nomine appositâ oratione salutatus est; in qua primùm ab eximiis fortunæ, deinde animi dotibus magnopere dilaudatus, sequentes etiam versus in benevoli animi testimonium, ut Patriarcha Constantinopolitanus audiit:

*Non prius ad superos redeat fortissimus Heros,
Quàm reparet aram Sancta Sophia tuam.*

Of-

*Offerat & victor tibi Nati maximi
ma sacra,*

*Exornétque aras lumine, thure
re sacras.*

*Quæ modò: prob facinus! inho-
nestos servit ad usus,*

*Tum sibi perpetuum stet sine la-
be decus.*

*Thomas
Cardinalis
desponsat
Principes.*

Tertio ab ingressu die cùm Cæsar ad congregatos Reges, ac Principes de communi universæ Reipubl. Christianæ commodo, & tranquillitate, de- que sumenda adversus Turcas expeditione sermonem habuisset, Thomas nomine Regum elegantissimè, & disertissimè respondit. Sequentibus duobus diebus consultatum est super negotiis, pro quibus convenerant, inter quæ prima erant gemina matrimonia. Quibus de sententia communis consilii decretis, vicesimo secundo die, qui erat D. Mariæ Magdalenæ sacer, in Basilica D. Stephani primum Anna Uladislai R. filia, tot Cæsarum, & Regum dein parens, Ferdinando I. Imperatoris Maximiliani nepoti, Maria verò Cæsaris neptis Ludovico Regi Hungariæ faustis auspiciis desponsata est

est per Thomam Cardinalem. In- *Multitudo*
 terfuere huic celebritati ex Antistibus *Procerum*
 Hungariæ; Gregorius de Frangepani *celebritatè*
 bus, Archi-Episcopus Colocensis, & *interest.*
 Regni Cancellarius, Georgius Sak-
 marius Episcop. Quinque-Ecclesien-
 sis, Stanislaus Thurzo, Episcop. Olo-
 mucensis, Ladislaus Zaikanus, Epi-
 scop. Vaciensis, Michaël Kesseró,
 Episcop. Bosnensis: ex Magnatibus
 Petrus Comes de S. Georgio, & Ba-
 sinio Judex Curia, Michaël Palocsius
 Magister Cubiculariorum, Franciscus
 Orzágus de Guth, Banus Nandoral-
 bensis, Emericus Orzagus Mag. Cu-
 biculariorum Regis Ludovici, & An-
 næ, Stephanus Perénus, Joannes
 Bornemisza Comes Posoniensis, Moy-
 ses de Buzlai Magister Janitorum cum
 filio Ladislao, Georgius Comes Sce-
 pusiensis, Joannes Banffius de Lindva
 Magister Pincernarum, Joannes Do-
 csius, Ladislaus de Kanisa, Petrus
 Korlatkóvius, Petrus nepos Cardina-
 lis, Georgius Thurzo Camerarius
 montium, & plurimi alii. Eodem
 die paratum est publicum instrumen-
 tum de his matrimoniis, quod edidit
 Joannes Sambucus in Appendice re-
 I rum

rum Hungaricarum Hæc dum age-
rentur Viennæ, Emericus Perénus
Regni Hungariæ Prorex æger Posonii
subsistere coactus est. Is cum con-
tractam cum Cæsare affinitatem, ac
successionis jura in ejus nepotes trans-
lata cognovisset, quacunque de cau-
sa, per fora, & plateas civitatis curru
circumvectus, contractibus illis à Cæ-
sare, & Regibus initis se contradice-
re proclamavit, ut refert Istvanffius,
quem adire potes; nos nostra perse-
quamur.

Rebus illis ita transactis, ne Cæsar
quoque, ut erat humanissimus Prin-
ceps, suis partibus deesset, néve ul-
lum officii, ac benevolentiae genus
erga Cardinalem Thomam præter-
mitteret, cum ad hospitium Poloniæ
Regis visendi gratiâ ivisset, cum simul
in domo, quæ vulgò leporum dicitur,
suâ præsentia honoravit. Neque cui-
quam mirari succurret tantam in Im-
peratore animi demissionem, qui no-
verit Bakacsum tantam dignationem
suis virtutibus promeritum fuisse.
Quæ quantæq; hæ fuerint, in sua ora-
tione laudatus Ludovicus Restio
multis enarrat; è quibus pauca cum
lecto-

*Histor. lib.
6. ad ann.
1515.*

*Thomas à
Cæsare in-
visitur.*

lectore communicare lubet, è loco, quò hæc loquitur: *Æquitatem autem tu R. P. ac Illustris Princeps quàm diligenter & colas, & observes, & ne transversum quidem unguem ab ejus præscripto discedas, clarius est, quàm oratione meâ prolixius persequi debeat, cum justitiâ nulli prorsus neque sis, neque habearis secundus; sicuti neque prudentiâ, neque religione quibus adeò omnibus antecellis, ut omnia Hungariæ negotia, vel in pace, vel in armis, ex tuis sapientissimis consiliis pendere videantur; & Divina mysteria peragens, (peragis autem ea sæpe, & summâ interioris hominis voluptate) quoddam numen credaris.* Encomiis his quid ad commendationem Bakacsii amplius addi possit, sicut non video, ita ex virtutum, & præcipuè religionis cultura opes quoque, & fortunas amplissimas ei provenisse pronum est conjicere. Ne verò alieni illas post occasum su-

Thomas Encomia ex Ludovico Rejtio.

Thomas Cardinalis Erdödianam familiam fundat.

quidem Bakacio (ut videtur) Germano suo, eximias satrapias, atque castella, inter quæ & Monyorókerékum censetur, in Croatia, & finitimis donavit. Stephano, & Wolfgango, ex Valentino Bakacio, altero videlicet fratre suo, nepotibus, quædam in Comitatu Hontensi, & Barsiensi dedit; sanctè professus se bona hæc non ex Ecclesiarum ære, ac proventibus, sed propriâ industriâ, labore, atque fatigiis comparasse. Joanni autem nepoti nihil penitus relinquens, satis, inquit, sit ei jam Præpositurâ Strigoniensi gaudere; cui tamen brevi, ut Zagrabiensi Infulâ potiretur, auxilio fuit.

Litera Leonis X. ad Thomam Cardinal.

Quæ egerit in Ungaria post obitum Uladislai II. quantòque in pretio, ac æstimatione fuerit apud Leonem X. Pontificem Maxim. ex ejusdem literis ad Thomam datis, liquidò constare potest, quas hic ad verbum subnectimus: *Lectis tuis literis, quas binas uno tempore accepi, alteris ad decimum, alteris 6. Kalendas Junias datis, statim Fratres meos Ecclesie Romanæ Cardinales adhibui, ut unâ quid tibi ad illas respondere nos oportet,*
ma-

*enaturè consuleremus. Itaque de com-
 muni nostra omnium sententia tibi re-
 spondeo. Utar autem ordine, ad priorem
 scilicet epistolam priùs: gratissimum no-
 bis accidisse, quòd in conventu Pañoni-
 co nuper habito omnia tranquille, atque
 pacatè acta, confecta, transactaque
 sint. Nam cum proximè propter re-
 centem Uladislai Regis mortem, im-
 becillamq; Ludovici ejus filij ad regen-
 dos populos atatem, ne turba, seditio-
 nesque inter istos Principes existerent,
 magnopere timuissimus: nunc cum res
 aliter ceciderit, jamque administren-
 tur, magnâ certè voluptate tuæ nos
 literæ affecerunt. Valde enim fore
 credimus, ut si vos in tractandis Reg-
 norum istorum, explicandisque negotiis
 idem atque unum omnes respicietis,
 magna cum pacis, & quietis, tum dig-
 nitatis, & commodorum incrementa
 publicè, atque privatim vestris rebus
 sint accessura. Pacis enim, atque con-
 cordiæ cupidos protegit, augètque pa-
 cificus, ac mitissimus Dominus. Qua-
 re eo de consensu, ac voluntate maxi-
 mis vos singulos & studiis prosequi-
 mur, & laudibus. Hortamur autem,
 ut in instituyendo Rege puero, atateque*

*Horitur
Thomam,
ut Adole-
scentulum
Iud. II.
boris mori-
bus, & ar-
tibus re-
gnandi in-
struat.*

illa tenera & flectenda, & dirigenda eundem consensum, eandem curam adhibeatis, quoad Rex se, atque sua regere per aetatem possit. Nam ut arborum semina dum pubescentia sunt, palis indigent, quibus nitantur, ne ventis, ac tempestatibus incurvescant, obliquitatemque ducant crescentia, sic puerorum ingenii moderatore opus est, ac magistrorum, qui ea regant, atque contineant, ne flectere in vitia, malasque artes possint: ad quas tenera omnis, atque infirma aetas pronos, maximamque lubricos lapsus habet. Rescripsi ad priorem epistolam tuam, nunc ad postremam venio: quam me de adventu ad vos Turcarum Regis legati certiore facis, induciarum cum Rege tuo conficiendarum causam, consiliumque requiris meum; ut quid vobis faciendum sit, scire possis. Quod quidem nullum habeo, tibi quod dem, praeter illud, de quo ad te non unis literis scripsi. Quod item nunc scribo: nobis scilicet eandem esse mentem, eundem animum, qui antea fuit, qui que semper est futurus. Cupimus enim ut debemus, ne cum perpetuis nostris hostibus ulla imperia se conjungant. Qui non id postulant, propterea quod pacem, ac

oti-

otium velint, cum nihil nisi bella meditentur; vel quod ullò vos commodò affici non agerrimè, molestissimèque ferant, quorum oppida, ditionemque, ipsas inducias flagitantes depopulantur, & proterunt; sed ut à vobis, populisque istis bellicosissimis, atque fortissimis securi tantisper sint, dum vel alia, quæ sibi cordi sunt, explicent, aliòsque Reges opprimant, vel sibi opes comparent, ad vos postea, quibus maximè inhiant, validis, integrisque viribus aggrediendos, planèq; conficiendos. Itaque non possumus assentiri conditionibus iis, quas in vestras cervices, atque perniciem credimus reversuras. Eam ob rem, ut suis, diligentissime ad omnes Christianos Reges non semel scripsimus, multisque precibus contendimus ab iis, ut Regi, Regnisque istis ad hostium conatus repellendos unà nobiscum opè, atque suppetias ferant. Id etsi seriùs fit, quàm volumus, quàmque decebat, futurum tamen in tempore confidimus: utque fiat, damus nunc quoque ad eos ipsos eadem de re literas, monemisque singulos, longiorem mittendo auxilio moram ne addant; ne dum ipsi cum èt abundi sedent, ad id vos necessitas

Disuadet
Ungaris inducias cum
Turcis.

compellat, quod postea factum recidere in maximum universæ Christianæ reipublicæ damnum, atque dedecus facile possit. Qui, si quod petimus, in tempore fecerint, vobis ante omne erit utile, nihil cum Turcis statuisset: quibus fortasse veteres etiam eorum in vos injurias ulciscendi occasio propterea dabitur. Nos quidem certè pro vestra dignitate tuenda, Regnoque defendendo omnes nostras opes, sanguinem etiam nostrum, si expediat, sumus libentissimè profusuri: quemadmodum cu Francisco Marjupino, familiarè ab epistolis tuo latiùs & ipse locutus sum, & meorum Fratrum plurimi idem fecerunt: cujus te ad literas referes. Dat. 8. Kal. Quintil. 1516. Pontif. nostri. an. 4. Romæ.

Cæterum erat Thomas Cardinalis vir uti insigni moderatione animi atque prudentiâ, ita doctrinæ maximarumque virtutum omnium laude conspicuus. Præsul semper sibi constans; non honoribus, aut famâ, cæterisque secundis rerum successibus, quibus tamen undique affluebat, unquam elatus; neque sinistra fortunæ calibus, ut apud pleròsque fieri amat,
de-

dejectus. Mirus illi fuit ingenii, mo-
 rumque candor ; quò, nullò sibi un-
 quam dehonestamentò ducebat, *Humiles fi-
 bi sanguine
 junctos non
 fastidit.*
 omnes sibi sanguinis necessitate jun-
 ctos, quantumvis tenui fortunâ, humi-
 lique loco prognatos, non modò in-
 genuè agnoscere, & humaniter, ac
 amicè tractare, quin imò aliis etiam
 per gloriam ostendere ; id quod tan-
 tò majori in eo admiratione dignum
 videbatur, quòd plerique, quos cæca
 fortuna paulò altius ex infima sorte
 evexit, suos non solum fastidire, at-
 que per scelus contemnere, sed ne
 quidem agnoscere velint. Erat quo-
 que Thomas mirè erga omnes affabi-
 lis, ac mansuetus ; nemo opem ejus
 unquam implorâsse visus, cui non sin-
 gulari quadam tum in audiendis, tum
 expediendis causis celeritate adfui-
 set. Eam præterea laudem apud *Celer in em-
 pediendis
 causis egen-
 tium.*
 omnes consecutus est, quòd nemo
 unquam tristis è conclavi, aut sere-
 nissimo ejus vultu discederet. Pecunias,
 quas possidebat non modicas,
 non ad viles, ut quandoque fit, atque
 inanes usus, sed ad excitandos ad vir-
 tutem, & optima quæque studia, ad
 provehendos denique ad maximas di-
 gni-

gnitates eos, in quibus aliquod probitatis, ac doctrinæ indicium animadverteret, utebatur. Alebat ideirco magnis sumptibus quosdam Strigonii, quosdam Viennæ Austriæ, aliquos Cracoviæ, nonnullos in Italia egregiæ indolis adolescentes, qui literis, ac virtute probè instituti Patriæ aliquando, & religioni emolumento forent. Haud parvâ quoque impensâ exercitum semper in armis habebat, qui retundendorum, atque repellendorum è nostris finibus Barbarorum, & eripiendarum è Turcarum faucibus Christianarum terrarum, recuperandi denique Byzantii causâ continuè excubarent. Ab obitu Uladislai Regis, solus ferè jacentem erigebat Hungariam; qua de re extant Leonis X. Epistolæ, actis, & laudibus Bakacsiæ confertissimæ. His proinde, aliisque plurimis, & omnibus, quibus recensendis volumen non sufficeret, pro DEO, Religione, & Patria præclare gestis illustris, seniô, honoribusque onustus, magno omnium luctu è vita decessit, An. 1520. Inferiæ viro honorificentissimè Strigonii perfolutæ sunt, corpûsque humatum.

*Diversis in
Regnis ju-
ventutens
pro gloria
DEI alit.*

*Thomas
Cardinalis
moritur An-
no 1520.
& sepeli-
tur Strigo-
ni.*

Elogium ejus funerale, quod novem hodie extat nullum, præterquam nomen, & cognomen cum titulis Sacerdotiorum literis uncialibus fufum ære, aut incisum in coronide Sacelli de Invocatione B. V. elegantissimi, & inter tot oppugnationes, ac vastitates Strigonii, ferè illæsi; quod ipsum Thomas noster ingenti sumptu exædificavit, & remissionibus peccatorum, ac pœnarum magis locupletavit; quas consequi quotannis per Turcas Christianis supplicantibus licebat. In hoc ergo sacello talis superest inscriptio: *Thomas Bakacz de Erdöd, Cardinalis Strigoniensis, Almae DEI Genitrici Virgini extrui curavit M. D. VII.* Tempore, & cœli injuriis sacellum aliquantùm labefactatum in integrum restituere propositum est Christiano Augusto Cardinali; qui jam templum Parochiale D. Stephano Proto-Martyri dicatum, in civitate Archi-Episcopali renovavit, & laxavit: in cujus adyti fronte prostant insignia Principis, & carmina laudes Reparatori dicunt. Sed ut paululum ad Bakacium revertamur, illud memorandum est, quòd in porta marmorea palatii Archi-

chi-Episcopalis, quòd ipse condiderat,
 aut instauraverat, quòdque hodie in-
 colit præfectus præsidii, incisum sit:
Dominus adjutor, & protector meus.
 Nos ad extremum Thomæ viro sa-
 pientissimo, Patriarchæ vigilantissi-
 mo, Metropolitanæ integerrimo, tria
 disticha viventi à Ludovico Restione
 facta, Epitaphii vice ponimus:

Salve perpetuum Patriæ decus,
atque perenne

Ecclesiæ robur, Pontificumque
decus.

Ergo prius pulchros linquent sua
sydera cælos,

Atque ingens vacuum piscibus
æquor erit;

Quàm tantum intereat Princeps
mitissime nomen,

*Quàm extinguant laudes hor-
 rida fata tuas.*

Vide lector, quantum debeant viri il-
 lustres eruditis, quòd illos ab interitu
 vindicent,

PETRUS ISUALIUS,
S. R. E. CARDINALIS,

Episcopus Vesprimiensis.

Petrus S. R. E. primùm S. Cyriaci in Thermis Presbyter Cardinalis, deinde S. Pudentianæ, & S. Mariæ majoris Archi-Presbyter, Messanæ infimo genere natus, à Julio II. missus est cum auctoritate Legatus in Pannoniam. Cùm è re Hungarica, Bohemicâque futurum speraretur, si in Regno diutiùs consisteret, ab Uladislao Rege detentus est. Valebat enim gratiâ apud Romanum Pontificem, magnosque Principes: ad hoc consiliò, ac prudentiâ in iudicando non vulgari eminebat. Ut verò interea pro dignitate haberetur, & sustentaretur, Episcopatus Vesprimiensis gubernandus, utendus, & fruendus ei tributus est. Mansit in Ungaria, quantum ego scio, septennium. Rediit in Italiam, aut Galliam annò gratiæ 1508. quò Julius II. cum maximis Europæ Principibus classicum canebat in Venetos. Dicitur erat Cardinalis Reginus ab Archi-Episcopatu quo-

quodam Rhegino, cui præerat. Habet nomen ejus Martinus Szent-Ivanus in Catalogo Episcoporum Vespriemiensium, atque fuisse Secretarium Regni. Recensetur etiam inter Episcopos in clausula Decretorum Uladislai Regis An. 1504. quò tres omnino Cardinales erant ex Episcopis Ungariæ. Hæc pauca de viro visum est memoriæ prodere; plura quærenda sunt apud exteros historicos, Guicciardum, Spondanum, Bzovium, & cumprimis apud Trithemium, qui in libros suos retulit; quòd cum Uladislaius Rex in Bohemos hæreticos, eo quòd in fossis, & speluncis noctu convenirent, Fossarios nuncupatos, expeditionem faceret, Alexander VI. Petrum Cardinalem in Comitatu regio esse voluerit. Desiit esse in vivis Cæsena 1511. Cineres translati Romam ad basilicam, cujus fuerat Archi-Presbyter.



GEORGIUS
MARTINUSIUS,
S. R. E. CARDINALIS,

*Episcopus Varadiensis, Postulatus
Strigoniensis.*

Georgius Martinusius cognomen- *Masenius*
tò genuinò Utisinovichius, jux- *in vita Caro-*
ta Masenium, & Istvanffium ex tenui *li V. &*
Dalmatarum nobilitate oriundus *Ferd. 1. 7.*
(quanquam à Czvittingero gente *n. 167.*
Croatam fuisse scribatur) infima in
aula Joannis de Zápolya calefaciun-
dis hypocaustis destinatus, ministe-
ria exercuerat puer. Pertæsus id
officii ad majora stimulante ipsâ na-
turæ indole, literaturæ se addixit, *Nicolus*
& monasticam vitam professus est *Istvánffi ad*
sub regula Divi Benedicti: vero simi- *an. 1534.*
lius tamen est, in Cœnobio juxta Bu- *David Zvit-*
dam inter D. Pauli I. Eremitæ tyro- *tinger, in*
nes eum nomen dedisse. Suo tem- *Specimine*
pore sacris initiatus, Aulam Joannis *Hung. Litera-*
Vajvodæ in Polonia exulantis, re- *ratæ.*
petiit, eidémque fidelem satis, &
prudentem gravissimis in rebus ope-
ram navavit, tantúmque effecit, ut
Joannes à Solymano, cui se clien-

tem,

tem, ac tributarium dediderat, Transylvania, Hungariaeque fuerit restitutus. Pro adeo fideli, & fructuosa opera, in vicem muneris post caedem Emerici Cibaki, quae contigit Anno 1534. Insula Varadinensi donatus est.

1540. eligitur in Episcopum Varadiensem, & Tutor factus Reginae post mortem Joannis.

Annò 1540. obierat diem suum Joannes Rex, qui Georgium ceu virum idoneum tutelae Isabellae Reginae, & Filii Joannis Sigismundi praefecit. Et sanè nihil in ejus desideratum virtute fuisset, quae bello, ac pace egregia huic muneri gerendo, quam aptissimum effinxerat; si tuto em prudentiorem, constantiorèmque magis, quam astutiorè, & fortiorem induisset; ut colligas, astutiam non valere, si prudentiae sale non condiatur, ipsamque fortitudinem suis cadere viribus, nisi constans sit. Georgius itaque tempori se commodans, levi rerum momento, nunc Reginae, nunc Solymani, nunc Ferdinandi partibus adhærebat, magnâ semper felicitatis, quò se verteret, inclinatione. Tantum nimirum in agendo consilii, viriumque adferebat, ut fortunâ commite, gratiâ apud omnes potiretur. Principiò quidem, cum Ferdinandus à mor-

à morte Joannis Budam, quædamq; *Georgius*
 alia loca ex pacto repeteret, impen- *inconstans &*
 sas refusurus, Reginæ assentienti Ge- *varia ejus*
 orgius obstitit, Budamque copiis So- *molimonia.*
 lymani tuitus (Reginâ cum pupillo
 in Transylvaniam ablegatâ) quoad in
 hujus manibus positam vidit, cum do-
 lore querens non sibi, sed Turcis ope-
 ram se navâsse, seque spe suâ delu-
 sum esse. In Transylvania deinde ita
 rem gessit, ut Reginam simul cum re-
 liquis in servitute possideret. Regina
 indignam pertæsa servitutem ad Soli-
 mannum confugit; cujus favore, vi-
 rilis animi mulier, præsidioque freta,
 dimissô cum muneribus Chauisô ar-
 ma parare non dubitat. Antonius
 itaque Lofoncius, & Franciscus Pa-
 tocius clientes suos, & subditos ar-
 mant, centuriantque, equites con-
 scribunt, ac cum Petrovicisio, qui ex
 Thracibus equitum alas, & cohortes
 evocaverat, Albam castra promo-
 vent, Alvinciûmque oppidum, quod
 exiguo Georgii præsidio tenebatur,
 primo impetu capiunt. Unde Petro-
 vicisus partem copiarum ad Chana-
 dinum occupandum duce Nicolao
 Cserepovitio, Thracum Præfecto mit-
 tit,

tit, ipse Albam ad castra revertitur. Aberat Varadini Georgius, quum novos hos motus, novum bellum adversum se concitatum cognovit; coactis itaque repente copiis, quas continuis stipendiis alebat, in Transylvaniam non magnis itineribus proficiscitur, tamque strenuè cum Ducibus suis Turcarum vires aggreditur, ut illum Solimannus amicum, quam hostem mallet. Pulsis hostibus, & Reginae auxiliaribus copiis, Comitia promulgantur, quibus Nuncii publico nomine ad Reginam mittuntur hortatum, ut sepositis armis, & pace cum Georgio factâ, filium ipsi, & Petro Petrovicio ad Rempubl. capeffendam educandum exhibeat, ut à teneris annis ei administrandæ assuefactus, vergente ætate promptior evadat, se sacramentum in ejus nomen renovaturos. Sed Regina teneram filii ætatem, & vix decem annos supergressam (natus enim erat eò annò, quò Joannes Pater debitum naturæ solvit) causata, se de eo alienæ educationi committendo excusavit; pacem si Georgius sincerè vellet, se non tenuere respondit. Annitentibus po-

stre-

stremò nunciis, ac Georgio nihil subesse doli jurante, mutuam in concordiam sunt reducti. Verùm quì hæc concordia brevi sit rupta, priusquam demonstremus, redeundum nobis est ad annum 1549. quò Georgius clandestina, cum Perego Ferdinandi Legato consilia cudit. Cùm enim inter Isabellam, & Georgium, mutuæ, gravésque essent similtates, Petrovicio etiam in tutela Regii pueri socio, Reginae partes tuente; veritus Georgius, ne unus à duobus circumveniretur, Ferdinandum Cæsarem, ut aliquem ex suis, cui maximè fideret, primo quoque tempore ad se mitteret, oravit. Ivit itaque ad eum Varadini rebus suis intentus Albertus Peregus, Camerae Præfectus. Hac in legatione quæ gesserit, Albertus redux Ferdinando exposuit; nempe Georgium reddendis Regno Pannoniæ Transylvanis, & Cassoviâ, ac diademate Regio non esse alienum, si pupillo, & Reginae de alio Principatu, deque patrimonio restituendo caveretur. Ut hoc consilium effectum darent, electum est oppidum Bathorum, ubi post declaratam Tur-

*Georgius
ad Ferdin.
inclinat.*

cæ perfidiam, Ferdinandi intentionem quàm optimam dilaudatam, à qua nec Georgius abhorreret, Salmensis, & Stephanus Bathorius ambo prudentiâ, & eloquentiâ singulari, hæc pupillo, & Reginæ danda nomine Ferdinandi conclusère: Oppaviensem nimirum Principatum cum idoneis redditibus; hæreditatem, quam Pater reliquerat, amplissimam prorsus, & planè Principalem Ferdinandum redditurum, & pupillum in filium adoptaturum. Ac, si eum firmata ætas virum fecerit, filiam Johannam, quum ad nubiles annos ætatem produxerit, ei desponsaturum. Ad quæ Georgius: æqua sibi hæc omnia videri asseveravit, nec aliud desiderari, quàm ut pacta hæc solennibus tabellis, ac jurejurando confirmentur, & certus dies à Ferdinando statuatur, quò copiæ cum idoneo duce adsint. His peractis Georgius Varadinum, Salmensis Agriam revertère, & ea, de quibus convenerant, celerrimis nunciis ad Ferdinandum perferenda curavère. Paulò post Georgius cum Cæsare fœdera rursus repetenda censuit, & cum illius Legatis

Vide Ist-
vanffium
ad annum
1550. ex
quobac spar-
sim & in-
tercisè com-
memin-
mus.

gatis in oppido Dioszego convenit. Quô animadversô Regina, promulgato ad Enyedum oppidum conventu, publicam contra Georgium causam, plenam querimoniarum instituit; ab illo immemore beneficiorum tam pupillum innoxium, quàm Provinciâ venisse Germanis lamentatur; Conventuque se, donec Solimanni auxilium advenerit, comendat. Georgius non se, sed Reginam violatâ concordia, turbandis rebus occasionem dedisse dictitans, nequaquam vocatus, ultro Reginâ, ac plerisque aliis invitis, ad Comitium Enyedum profectus, Siculis, & liberarum civitatum Legatis, in partes traductis, à Regina postulavit, ut discordiæ motores suo juri traderentur; quorum primi fuere, qui singulari perfidiâ se deserto, ad ipsam desciverunt, & præter hos Michaëlem Chakium epistolarum Magistrum, & Ambrosium parvum, quorum consilio hæc acta erant. Interea verò Ferdinandum edocuit, quô locô res Transylvaniæ viderentur, admonuitque, ut exercitum primo quoque tempore expedire, & maturam sibi laboranti opem

ferre meminisset. Nec multum tamen abfuit, quin Georgius Regnò pelleretur, prævalentibus Reginaë partibus, ac Melchiore Balaffio, cæteris audaciore, reliquis animos addente; nisi Ferdinandi duces, in procinctu esse, & haud procul Tibiscò iter maturare nunciarentur, quod Georgio salutis, Reginaë verò, ejusque conjunctis, haud mediocri formidini fuit.

Georgio salutis fuit prope adfuisse copias Ferdinandi.

Erant enim copiarum nequaquam in potestem habendarum, vel numerò; virtute tamen, & robore, ac famâ ducis, rebus præclare gestis inclyti, prorsus firmæ, validæque. Joannes Castaldus præerat exercitui. Erat is olim Magister castrorum Caroli Cæsaris, vir validâ, viridique senectâ; exercitus verò constabat ex tribus millibus Hispanorum, Gallicis, Germanicisque bellis clarorum; legione item Germanicâ sub Ducibus Felice, & Baptista Comitibus ab Arco, & equitatu Germanico, Carolo Sirotinio duce. Adjunxerat Ferdinandus Castaldo, ex Pannoniis Andream Bathorium, Thomam Nadasdium, & Stephanum Losonczium, rebus præclare gestis, virtutèque haud impares;

res; sic tamen, ut summa rerum omnium ad Castaldum respiceret. Castra hæc quacunque iverant, jubente Bathorio, qui Provinciis Pannoniæ superioris præerat, augebantur militibus. Georgius cum per Alpes tormenta currulia, & carri, impedimentaque castrorum lentius proveherentur, antevertendum bellum ratus, Albam obsidione cingit, quâ paulò ante Regina discesserat, præfectò in ea Franciscò Bojniciò Croatâ relictò; cumque eam 20. dies oppugnâset, & mœnia vetusti operis diruisset, milites ad manucapiendam, diripiendamque succensos cohibuit, nè thesauri Reginæ, & carior suppellex prædæ eorum exponeretur. Quare scriptis ad Reginam literis, & Francisco extrema minatus, nî oppidum dederet, effecit, ut illud deditione in suam potestatem veniret. Captâ Albâ, Reginæ, quæ ibi habebat, inviolata restituit omnia, eamque ut secum loqui vellet, rogavit. Quod Regina metu Hispanici exercitûs ab omnibus destituta, quam invita admisit; & in oppido Sebeffo uno ab Alba milliari distito, in mutuum conspectum, & collo-

Albam obsidet, & ca-
pit.

Ad collo-
quium cum
Regina ad-
mittitur,
etque expo-
nit Transyl-
vaniâ ce-
dendum.

quum ventum est. Ibi Georgius quamvis primò lachrymis, & singultibus permistâ voce veniam precando sit prolocutus; recollectô tamen animò, adesse duces Ferdinandi cum valido exercitu proponit, rémque eò deductam, ut Transylvaniâ cedendum, & corona, cum Cassovia haud cunctanter reddenda sit; non tamen suspicaretur sibi, pupillôque nullô Dominiô, dignâque Regiæ Majestatis dote provisum; námque ipsam centum millia aureorum nummùm dotis nomine accepturam: filio Principatum Oppaviensem in Silesia, & patrimonium, quod ad 40. arces firmas, opulentâsque constituat, restitutum iri, quin imò filio venturam in conjugem Ferdinandi filiam minimam natu, dum ambo nobiles ætatis annos attigerint. Quibus omnibus, ut ipsa subscribat, se plurimùm etiam, atque etiam interponere, ac obtestari. Turcarum perfidiæ non fidendum, quam & Reginam, & se toties luisse luculenter advertit. Ferdinandum Monarcham potentissimum patris officiô functurum, sub suâque tutela securè protecturum, idque Legatos interpositô sacramentô subscri-

scripturos; Ad hæc petere, ut quatuor illius Ministri, uti antea publico nomine petatum esset, arbitrio suo plectendi sibi tradantur. Hæret Regina inops consilii, & Turcarum auxilio non appropinquante, & Petrovicio, in quo aliquid spei suberat, solitâ cunctatione moras trahente, contra Georgium & suis, & alienis copiis rem urgente, quidnam diceret, aut faceret, non habebat. Itaque in fletu, & lacrymas conversa, se quidem *Regina vtr-*
ba. pactis assentiri respondit, ac Regno, Cassoviâ, coronâque cedere, sed DEUM Opt. Max. superosque omnes testes invocare se, ut tantum unico filio præjudicii faciat, ab invita, coactâque extorqueri: ipsi ad hujusmodi foedera, contra herilis jura pueri minime descendendum fuisse, inter singulos queritur, quibus Regno privatus, in externas regiones relegendus exularet. Sed eundem Dominum immortalem, qui hominum ingratorum sceleribus, mirâ æquitate puniendis invigilat, hujus etiam enormis piaculi vindicem futurum, & ut exemplum in eum statuatur, quicumque horum est *cau-*

causa malorum, se dies, noctésque affiduis precibus imploraturam.

Habitò hóc colloquiò Castaldus exercitûs Imperator paulò post, cæterique Legati Claudiopolim tenuère, ac castra in suburbanis locavère. Cæterùm Regina, & Georgius eòdem Comitìa indixère, ipsáque die statutâ, adductò filiò adfuit Annò 1550. ac cum Castaldo, & Legatis junctâ dextrâ, Ministros, quos Georgius dedi ad pœnas poscebat, quòsve ipsa salubriori consilio secretioribus in locis abdiderat, veniâ impetratâ periculò simul, & latebris exemit. Deinde cum ex ordine Nobilitas, ac Siculi, & Saxones frequentes convenissent, majori in æde sacris operatum est præsentibus Reginâ, filiò, & Georgiò cum Ferdinandi Legatis: peractò sacro, adhibiti aris sacramentò se obstrinxerunt: Castaldus, Bathorius, & Nadasdius pro Ferdinando Imperatore, próque pactorum conditionibus adimplendis: Regina eòdem modò, ac filius, postremò Georgius sacramentum dixère. Quò dictò tubæ, ac tympana concrepuerunt, & faustæ acclamationes sublatis vocibus repeti-

*Isabella coronam
Hungaria
restituit.*

titæ. Regina demum coronam, & sceptrum, cæteraque eò spectantia, in arca vetusti operis, sed ferreis repagulis bene munita, depromptit, & ad Procères, qui longo ordine adstabant, brevi sermone hæc intulit:

En presentibus vobis, atque intuentibus, viri Pannonii coronam, & sceptrum Regni Hungaria insignia, Ferdinando Regi mittenda do, atque trado. Istæ anffius lib. 16 circa finem.
Faxit DEUS Opt. Max. ut id vobis, universoque Regno, Reipubl. Christianæ felix, faustumque sit. Verum animus mihi præsagire videtur (atque utinam falsò præsagiat) vos hoc diademate neminem deinceps vestra gentis, & sanguinis Regem ornatos. Equidem hoc in meam, filiique injuriam vergere haud ignoro; sed me facere, quod alii volunt, oportet: magna tamen spes me tenet, fore, ut filio quoque meo aliquando melius prospectum sit; ut quanquam nunc mutatis sedibus, aliud migrandum est; tamen in spem Regni educato, DEI Opt. Max. ope, & vobis annitentibus, pristinam fortunam recuperare liceat. Consignata Ferdinandi potestati Regni insignia, Castaldus eisdem per Legatos Pofonii Comitibus
 per.

peragendis vacanti transmisit. Regi-
 næ verò ex Transylvania excessuræ
 propter sinistram filioli valetudinem,
 aliquot dierum spatiò fuit morandum
 Claudiopoli; quâ ubi primùm suble-
 vatus est, iter Cassoviam aggreditur.
 Petrus de Reva vult Georgium ad
 Ducatum usque Oppaviensem Regi-
 nam profecutum fuisse; Istvanffius
 tamen nec Cassoviam usque perrexif-
 se comitem, sed ambos millenis dona-
 tos aureis, & puerum exosculatum
 apud Silahum oppidum, ad radices al-
 pium Mezeffiarum suum, dimisisse;
 adjuncto tamen suas partes obeunte
 Ladislao Udenffio. Ferdinandus
 memor operæ Georgii, & industriæ
 in promovendis sibi Hungariæ insigni-
 bus, eidem Archi-Episcopatum Stri-
 goniensem cum amplissimis redditibus
 confert, & à Julio III. Pontifice Max.
 Purpuratorum Patrum Collegio in-
 sertum nunciat; quanquam, ut ait
 Istvanffius, moderatò Georgius hos-
 ce honores tulerit animò, quasi præ-
 sentiret non diu hâc dignitatis acces-
 sione se fruiturum: namque eodem
 hoc An. 1551. ut paulò post videbi-
 mus, crudelem in modum è medio
 sub-

Istvanffius
lib. 16.

Georgius
fit Cardina-
lis.

sublatus est. Visus enim est Georgius Castaldo rursus cum Solimanno tractare, & de Transylvania Ferdinando eripienda cogitare. Suspicionis origo fuit, ob Ulamanem Turcarum Ducem liberè ex arce Lippa dimissum cum mille trecentis sociis; quum tamen eas in difficultates adductus fuerit, ut de deditioe cum quibusdam sibi notis ducibus, & præfectis agere cœperit, & si cum suis copiis dimitteretur Chanadinum, & Lippam se dediturum polliceretur. Castaldus licet cum reliquis tribunis resisteret Georgio dicenti, non esse Solymanum per nimiam ducum ejus tractationem provocandum, tamen persistentis votis cessit, dissimulatâ interea, & pressâ in pectore vindictâ, quæ brevi post in apertum prorupit, maxime cum Georgius militem hybernare juxta Castaldi edictum in Transylvania non voluisset, verum in præsidiis limitum, finitimarumque arcium collocari; eò quod ob exactiones, castrensésque necessitates oneri ferendo non essent. Ab hoc itaque tempore quærebat, quâ ei vim, & manus inferret. Militibus tandem, interventu Batho-

rii animis mitigatis, bono modo distributis, eis, qui in oppugnationibus substitere in urbibus, & suburbanis; cæteris in arcibus hosti propinquiorebus. Castaldus cum Georgio quasi animi gratiâ ad Binsium, seu Alvincium castellum loco ameno ab ipso Georgio ædificatum venit. Ibi Castaldo honoris causâ in majori, & commodiori ædium parte hospitium Cardinalis assignat; ipse sibi cubiculum quoddam ad meridiem, in quo ejus diei reliquum, ac, quæ imminebat noctem, quiesceret, delegit: nec multo post futuri ignarus, copias ferè omnes dimisit, paucis ad carrorum custodiam relictis, præcederéque Vársárhelinum jussit, eò ad Comitia celebranda venturus. Castaldus maturam occasionem nactus, Sfortiam Pallavicinum, cum quo antea consilium communicaverat, isque operam, & studium suum prolixè erat pollicitus, ad se vocatum, ut rem aggredia-
tur, simulque perficiat, hortatur. Andree Lopejo Hispanorum peditum cohortis Præfecto, quid facere in animo habeat edocto mandat, ut cum selectis ex numero militum ante auro-
ram,

Stoanffius
lib. 17.

Zittinge-
rus,

ram, dum currus Georgii onerarentur, ac cætera ad iter pararentur, ad se ad castellum veniat, portamque quò majori possit silentio, absque tumultu occupet. Sfortia totam noctem insomnem ducendo, ac consultando transegit. Hâc verò arte conjurati in Georgii cubiculum irrepserunt: M. Antonius Ferrarius Castaldo ab Epistolis, homo prostitutæ audaciæ, jam ab aliquo tempore Georgio notus, ac muneribus, & pecuniâ ab eo donatus, nuntiat dubiâ adhuc diei matutinæ luce per cubicularium puerum, se habere arduum, magnique momenti negotium cum eo communicandum. Admissus in conclave literas profert ad Ferdinandum Regem scriptas, quas ut nomine suo digniores faciat, rogat. Sumptò calamò cum Georgius, ille pugione, lethali ictu jugulum ejus transfixit. Strepitu simul, & clamore exorto, Sfortia, & cæteri decem numero irrumpunt, strictisque gladiis eum Christi DEI, Divæque Virginis Matris opem inclamantem circumstant, crudelitèrque repetitis ictibus enecant. Hunc exitum

*Georgius
Cardinalis
occiditur.*

tum vitæ habuit Georgius natus annos 70. circiter, An. Chr. 1551. diem cædis Petrus Révaius 18. Decembris, Zvittingerus verò 19. contigisse refert. An verò Ferdinandi imperiò,

*Masenius
in vita Ca-
rolî lib. 7.
num. 67.*

nec ne illa facta sit? incertum mansit, plerique thesauris Georgii id adscribunt, quorum possidendorum causâ tantum scelus Castaldus præsumpsit; qui tamen admodum modici pro fortuna tanta reperti, omni eâ pecuniâ, quam sepositam credebant,

*Zvittinge-
rus in Spe-
cimine
Hungaria
literata.*

in publicas necessitates impensâ, alendâsque copias militares ab homine liberali; cui exacta fides, ac diligentia in administranda Rep. potiori curæ, quàm privata fuit charitas. Et quamvis Pontifex idcirco execratus sit Ferdinandum, eique diem dixerit, nil opitulante Epistolâ, quâ Imperator se

*Istvanffius
l. 17. A.
1551.*

purgare admissus est, quàmque recitat Istvanffius; tamen ut scribit Masenius, cum probatio sceleris manifesta non esset, eundem rursus absolvit.

*Masenius
in vita Ca-
rolî V. &
Ferdin. lib.
7. n. 67.*

Sed quamvis eâ cæde indignus fuisset Georgius, sive eam promeritus (utrumque enim vulgi sermonibus jactatum est) authores tamen cædis, vindicante DEO scelus, partim sum-

mas

mas in calamitates proruerunt, partim sceleratam vitam tragica cum morte commutaverunt. Sfortia enim, non toto vertente anno, à Turcis cæso exercitu captus, ac apud eos virgis, & fustibus exceptus, multò aurò se redemit. Marcum Antonium Ferdinandus Gonzaga Mediolani Cæsaris Caroli Præfectus, alterius noxæ capitalis crimine convictum, in præalta furca latronum more suspendendum curavit. Campegio Augustæ Vindellicorum dextra manus (nempe cædis viri amplissimi rea) primò nocturna in rixa detruncata est: nec multò post, dum Viennæ in Ferdinandi comitatu venaretur, ab apro terribilidentis ictu laniatus, ac effusis visceribus interfectus fuit. Scaramuccia autem in Gallia Narbonensi à militibus quibusdam in frustra dissectus, foedâ morte animam exhalavit; cæterique, ut habet Zvittingerus, inulti ab infamis lethi casibus non evasere. Et hæc sunt, quæ de Georgio apud scriptores comprehensa, ex nostris institutis huc inferenda fuere. Pro coronide Gasparis Bruschii metra adjungimus: quibus Georgii præclaram

*Autbores
cædis misere
pereunt.*

*Caspar.
Bruschius
Annò 155*

in Poëmate de rebus virtutem deprædicat. Sic enim canit :

*Hungaria ,
& Austria
ad Rudol-
phum à Vi-
ceza.*

Nam postquam Ausonio Monachus fuit ense peremptus ,

Qui columen Regni totius hujus erat ;

Turcica tota manus , Segedini mœnia cepit.

*David
Zwittinger.
in Specimine Hung.
Literata p.
246. &
sequ.*

Innuere volens ejus robore, & industriâ, prudentiâque plurimum Turcarum vires detentas fuisse, quominus in Transylvaniae urbes liberum, facilèque habuerit ingressum; eò verò vitâ functô, velut rupto aggere facilè fluxibus calamitatum alveum, & Turcarum ferocitati viam apertam fuisse. Quod alii laudi, hoc nos ei vitio damus; quòd nimirum hæresibus in Transylvania ubertim crescentibus, faverit; nos tamen istud in medio relinquimus. Narrant præterea, quòd pridie quàm interficeretur Georgius, Sacerdos coram eo sacrificans, calice pro pane in manus sumpto, vinum effuderit: quod ipsum sanguinem Cardinalis effusum iri portendisse, multi postea interpretati sunt.

ZACHARIAS
DELPHINUS,

S. R. E. CARDINALIS,

Episcopatus Jaurinensis Gubernator.

ZAchariæ Delphino Patritio Vene- *Nuncius*
 to primus dies illuxit 29. Maji, *Apostolicus*
 anni post Christum natum 1527. Pa- *in Hunga-*
 tavii scientias varias edoctus, multa *ria.*
 deinceps domi, forisque eximiè egit.
 Rexit primùm Torcellensem Eccle-
 siam, deinde Pharenssem, quæ juris
 Hungarici quondam erat. Finitò
 Conciliò Tridentinò à Pio IV. missus
 est Nuncius ad Ferdinandum I. Impe-
 ratorem, indèque ad Antistites Unga-
 riæ, cùm, ut ad Synodi illius decreta
 generatim amplectenda, tum, ut ad
 Seminariorum erectionem speciatim,
 tanquam rem in primis ad debellandas
 hæreses idoneam, eos hortaretur.
 Quibus de rebus extant literæ Pii V.
 Summi Pontificis, nuper in Sanctorum
 numerum relati; quæ quia, & tanti
 Patris sunt, & tam salutaris rei consi-
 lium complectuntur, eruditionis, &
 memoriæ gratiâ illas hòc locò profe-

Sigismundus Ferrar.
de rebus Hung. Ord.
Præd. Par.
3 l. 4. pag.
502.

Epistola Pij
V. de ser-
vando Con-
cilio Triden-
tino, & ere-
ctione Semi-
nariarum.
Inter Epi-
stolas hujus
Pontif. II.
lib. 3.

rimus; quarum quidem hæc structura est: *Venerabili Fratri Archi-Episcopo Strigoniensi, Regni Ungariæ Primati, & Suffraganeis ejus. Venerabiles Fratres salutem. Ad exequendum Apostolicæ servitutis officium, quod non sine timore, ac tremore, in spiritûs humilitate Divinæ vocationi obediens, suscepimus; oportet nos omnium, qui in sollicitudinis nostræ partem vocati sunt, auxiliò tantò studiosius sublevari, quantò infirmiores vires nostræ, & Ecclesiæ graviora sunt tempora. Nullum verò occurrit nobis mentem nostram huc, & illuc versantibus aliud remedium, ad Ecclesiam ipsam in commodiorem, & tranquilliorum statum redigendam, quàm ut sacrum Generale Concilium Tridentinum, quod sub fel. record. Pio Papa IV. Prædecessore nostro, DEO Auctore, tandem feliciter peractum fuit, ubique servetur. Nullum certè est aliud remedium, quod tot, & tantis Ecclesiæ malis adhiberi possit: nullum restat auxilium, quò possit Religioni Catholicæ, & salutis gregis subveniri. Hoc bonorum omnium votis optatum, hoc precibus à DEO expetitum semper fuit. Proinde*

vos in Domino salutantes, obtestamur, ut officii vestri memores, cum alia, quae tam pie, tam maturè, tam providè in ipso concilio statuta fuerunt, debitâ diligentiam observare curetis, tum illud de Seminario in unaquaque Ecclesia instituendo; quò nihil utiliùs, nihil his temporibus Ecclesiis opportuniùs, neque accommodatiùs statui potuit. Actum de ea re audimus fuisse vobiscum, dum idem Prædecessor viveret, à dilecto filio nostro Zacharia Cardinali Delphino, & à duobus aliis Sedis Apostolicæ Nunciis, & vos responsum dignum vestrà pietate dedisse: & speramus vos id, quod promisistis, præstituros. Sed quia vehementer optamus decretum, quod tantopere Ecclesiis utile esse constat, atque adeò necessarium, sine longiore mora ad effectum ubique, quacunque ratione fieri poterit, adduci, mandavimus dilecto filio Antonio de Grosupto, Ordinis Prædicatorum Professore, viro nobis probatissimo; ut vos ad id, quod tum polliciti fuistis sine longiori mora præstandum, nostro nomine admoneat, & hortetur. Cujus orationi, ut fidem habeatis, & ut præclarum testimonium, quod de vobis ab eodem Cardinale habuimus, re com-

proberis, petimus. Si quid autem ipsi à nobis requiretis, quod vobis, ac vestris Ecclesiis opportunum sit, desideriis vestris, quantum cum DEO poterimus satisfacere, & velut eximios filios juvare, atque honorare curabimus. Data Romæ apud S. Petrum die 11. Febr. 1566. Pontif. n. annô p.

Nicol. Olahus fundat Seminar. Clericor.

Recitatae sunt hæc literæ in Concilio Provinciali Tyrnaviæ, tantumque apud Nicolaum Olahum, summum literatorum patronum, pondus habere, ut extemplò Seminarium decem Alumnorum erexerit. Plurimum haud dubiè contubernium statuisset, nisi eâ tempestate proventus Archi-Episcopatus Srtigonienſis nimium acciſiſſent. Cùm verò Societas JESU (quam Magiſtram Metropolitana optabat Alumnorum) Annô 1567. Collegium Tyrnavienſe, tum ob ædes incendiò abſumptas, tum ob diſtanti- am Abbatia Széplakienſis, tum ob malevolorum impetus diſſolviffet; Olahus Abbatiam modò nominatam ſuis Clericis ab Imperatore impe- travit. Cæterùm Zacharias Delphi- nus abſens creatus eſt Cardinalis à Pio IV. Annô 1565. die 12. Martii ad

Hiſtoria So- ciet. JESU.

Zacharias fit Cardin. & Ep. Jau- rinenſ.

Titulum S. Mariæ : Annò verò sequente applicatus est ad gubernandum Episcopatum Jaurinensem. Maximilianus enim Cæsar quamvis in Franciscum Forgachium Episcopum Varadinensem, Patrum Francisci Cardinalis (de quo, suò locò) propensior fuerit, tamen Cosmi Florentiæ Ducis precibus, muneribusque expugnatus, Episcopatum Zachariæ contulit. Quâ re ille vehementius offensus, ad Joannem Sigismundum Transylvaniæ Vajvodam descivit; hic verò administrando provinciam sibi demandatam, plures annos in Pannonia commoratus est, intentissimâ interea curâ satagens, ne sancta Religio majori labe concideret. Ei quoque attribuendum est, quòd Concilii Tridentini sancitorum usus in Dioecesi Jaurinensem introductus sit; de quo, qui plura nosse volet, consulat P. Martinum Szent-Ivanium. In Urbem reversus Delphinus, miris laudibus celebravit, quæ à Collegiis Societatis JESU Pragensi, & Viennensi gerebantur. A Gregorio XIII. ex S. Mariæ in Aquino, titulo, ad S. Anastasiæ translatus est. Suffragium tulit

Vide! Nicol. Ijtvanff. Hist. ub. 24. ad an. 1568.

Dissert. Palarip. Rer. memorabil. Hung. Catal. 77.

pro Pio V. sed abfuit, ut vult Cabre-
ra, à Comitibus, quibus in Sede D. Pe-
tri positus est Gregorius XIII. quo
clavum Ecclesiæ gubernante, Romæ
Kalend. Januar. 1583. ætatis 57. ex
humanis ereptus est.

A N D R E A S
A U S T R I A C U S,
S. R. E. C A R D I N A L I S,

*Ex Georg.
Joseph.
Eggs, omnia
mutuata.
Nativitas
Andrea, &
educatio.*

Andreas Austriacus è Ferdinando
Archiduce Austriæ, & Philippina
Velsera Augustana Pragæ, celebri Bo-
hemiæ Metropoli, Annò gratiæ 1558.
Die D. Vito Martyri sacro (cujus sa-
cris cineribus Germania illustratur)
genitus; Ferdinandi I. Imperatoris,
& Regis Hungariæ (quo nomine in
hunc librum refertur) nepos, sedulâ
piissimæ Parentis curâ Christianarum
virtutum germina, olim maximos fru-
ctus allatura, cum lacte probæ nutricis
animo implantavit. Puer, ne corpo-
ris vigor, & Principe digna ad quidvis
audendum habitudo, desidiâ marce-
sceret, Patris voluntate, saltum, jacu-
latum, equitatum, scitéque armorum
tractandorum artem profitebatur; nè

verò menti fucata errorum specie imponeretur, hanc Religioni Catholicæ penitus deditam, pietate, & virtutum decoribus exornabat; ne ingenium liberale à communi parente natura datum sterilefceret, literis humanis, divinisque illud perpoliebat, tantòque conatu in linguarum studium incubuit, ut differentem Italicè, Hispanicè, Gallicè nemo non probaverit.

Annum septimum supra decimum agebat, cùm à Gregor. XIII. Annò partæ salutis 1576. inter Purpuratos Principes receptus, Romam petiit; ubi eâ apparatus elegantiam acceptus est, quæ tantum decebat sanguine, & virtute Principem. Ipse verò titulo Diaconali S. Mariæ Novæ insignitus, ea Cardinalitiæ probitatis, & gravitatis dedit specimina, ut pietas cum modestia, humanitas cum sinceritate, prudentia cum eruditione de primatu in ejus actis concertaverint. Bieniò Romæ optimò exemplò versatus est; tum sacris muneribus à Pontifice cumulatus, suos revisit, Comitatusque Tyrolensis suæ fidei concrediti gubernacula justus, prudensque Moderator cum titulo Imperii Romani

Fit Cardinalis Andreas.

Proteſtoris , geſſit. Porrò , cùm Gebhardus Truchſeſius electus Archi-Epiſcopus Coloniſis ſub annum 1582. pravâ Scotini præſtigiatoris operâ ab Eccleſia, ejuratâ fide ortho-xâ, ſe avulſiſſet, nuptiâſque Hæreticorum, & caſtra ſecutus fuiſſet, Andræ poteſtas Legati Apoſtolici, ad conſulendum tanto, populi, Paſtoris ſui defectione conturbati, periculo, in Eccleſiam Coloniſem tradita eſt.

*Quatuor
Comitiis.
Pontificiis
interest.*

Annò Domini 1585. Gregoriò XIII. oculis ereptò, quò celerius Romam attingeret, comitiisſque aſſet, mutatis equis, iter emetiri voluit; ubi Sixto V. cum reliquis Vaticanæ Curia Senatoribus ſuffragatus eſt. Succedentibus deinde temporibus in electione Greg. XIV. Innocentii IX. & Clementis VIII. non modò præſens erat, ſed prioribus duobus diadema Pontificium propriis manibus impoſuit. A Sixto V. Conſtantiſi, à Gregor. XIV. Brixiſi, Eccleſiis regendis præpoſitus eſt. Alſatiæ, Ferdinandi Patris nomine, nonnullis annis ità præfuit; ut ejus curæ commiſſi, & prudentiam in regendo mirarentur, & æquitatem ad aſtra extollerent.

*Duobus
Epiſcopati-
bus, & Al-
ſatia præſt.*

Hæ-

Hæreticorum insaniam ut elideret, Patres Societatis JESU Constantiam evocatos, pravæ doctrinæ opposuit. Inducto ibidem horarias preces recitandi ritu Romano, veterem sustulit.

Plurimas præterea sacras ædes munificè condidit, quasdam nimiâ vetustate ruinam minitantes, restituit, nonnullas eleganter adornavit. Laudum ejus præconia vel unum magnificentum Hannoviæ templum, honori D. Andreæ Apostoli à fundamentis erectum clarè deprædicat, cui consummando centies mille aureos largâ manu impendit. Ara tamen maxima maximo sumptu erecta, singulare quiddâ habet; imaginem nempe D. Andreæ argenteam brachiò ipsius Apostoli, donò Sixti V. Pontificis pretiosissimam, ac venerabilem, in magni hujus Cardinalis probatissimæ pietatis perenne monumentum. Quid multa? Erat Andreas Princeps Religiosissimus, constans excelsarum virtutum, vivûmque Præsulum exemplum; omnis honesti, & æqui, atque in primis horariarum precum observantissimus, à quibus non morbô, non occupationibus ullis, non justis bel.

Hannoviæ

templum

magnificum S.

Andr.

Apost. ponit.

Virtutes

Andreæ

Cardinalis.

bellorum rationibus abstrahi potuit. Catholicæ fidei assertor, & acerrimus propugnator, ac Pastor vigilantissimus erat, ut qui gregem sibi commissum, à Lutherana scabie incredibili zelo protexerit. Sæpè hæreticis bellum magnanimiter inferebat, non illud cruentum quidem, sed quod pro armis, & scutis sacrarum literarum, & Patrum dicta haberet. Ad felicius, ac fructuosius hoc bellum gerendum, edidit plurima opuscula Polemica, quibus non solùm expugnarentur pectora, sed & suaviter ad castra Catholicorum allicerentur. Nec mirum: tanto conatui, tantoque labori Apostolico fructum uberem respondisse; tria enim millia hæreticorum ad ovile Christi perduxisse memoratur. Philippus II. Rex Hispaniarum post discessum Alberti, Austriae Archiducis, Gubernatoris Belgii in Hispaniam, quem Provinciis illis regendis, militibus in officio continendis, extirpandis hæreticis, hostibus domandis præficeret, Andreâ nostrò magis idoneum reperit nullum. Munere ibi ex sententia Regis gesto, Dux, & Antistes eximius omnium ore meruit audire.

Non

Non contentus his virtutum decoribus, ut earum splendorem auget, & variorum locorum, in quibus Christianæ Religionis monumenta præcipua visuntur, sanctitate succenderetur amplius, crebrò peregrinationes obire solitus est. Quâ autem ratione in his se gesserit, unius meminisse, ex re esse judicamus. Lustrali Clementis VIII. anno cœlestium divitiarum obtinendarum cupidus, Romam iter instituit, verùm nolens virtutem suam per auras dissipatam, non absimili virtute, quàm Alexius, cum omnem vestium, equorum, ac famulorum luxum removisset, uno duntaxat comite retento, saccum indutus in jejunio, & oratione sacrorum Romæ templorum visitationem exorsus est; eodémque cultu perstitit, quoad ipsâ virtute, quis esset, indicante, agnitum, Cardinalis S. Georgii Cynthius Aldobrandinus, ad Pontificem in Quirinali degentem, perduxit; ubi invicem complexi, benevolentiam mutuam lachrymis contestabantur, & fœcundabant Andreas Cardinalis, & Clemens Papa. Româ, obtentâ à Pontifice veniâ, Neapolim,

Varias peregrinationes suscipit.

lim, adversus D. Januarii caput, sanguinem, & reliqua ossa reverentiam præstiturus, iter ingressus: persæpe ad familiares suos pertæsus mundum, Deique videndi desiderio accensus dictitabat: *se votorum omnium fore compotem, si DEO luberet ipsum ab hoc saculo nequam eripere, solutumq; carnis vinculis, ad Divini ejus conspectûs tantopere exoptati fruitionem vocare.* Sanè anima ejus anhelabat DEUM, ut cervus fontes aquarum. Et nec tantis desideriiis diuturna intercessit mora: Romam enim, devotioni sine imposito, reversus, & Pontificias in ædes à Clemente exceptus, mox in acutam febrim, ex itineris, ut nemini dubium esse potuit, molestiis obortam, incidit. Pro suo in Andream amore Clemens in moribundi cubiculo semel, iterumque, ac tertio rem divinam fecit; depositum pane Angelico ad viam æternitatis ineundam, firmavit, & oleo sacro suis manibus extremò unxit. Cùm morte demùm luctanti lachrymans, precibus, quæ pro decedentibus dici assolent, opem ferre non destitit: Salvatoris simulachrum manu tenens,

moni-

*Andreas
Cardinalis
agrotat, &
sanctè obit.*

monitisque maximè salutaribus ad victoriam roborans, DEO animum denique consignanti iteratò benedixit. Atque ità Andreas Cardinalis in loco sanctissimo, pari tempore, pientissimè ad viam æternitatis accinctus in manibus Christi Vicarii (quod paucis forsitan, aut nemini exterorum antehac contigit) veræ fidei, & pietatis signis editis, oculis in cœlum sublatis mortalitatem exiit, Annò Jubilæò 1600. pridie Idus Novembris. Funebria justa in æde S. Mariæ de campo (ubi intestina ejus in argentea pyxide recondita, ad aram maximam humata sunt) ritu solemni, & digno, tanto Principe, ac Cardinali, peracta sunt. Non multò verò post cadaver ad Ecclesiam Germanorum de Anima dictam, Carolo Austriaco ultimum Andreae fratri obsequium præstante, in tumulo affabrè è marmore cælato conditum est, cum hoc insigni elogio:

D. O. M. Memoria Andreae ab Austria, Ferdin. Archiducis fratris, Ferdinandi Imp. Cæs. Aug. nepotis, S. R. E. Cardinalis Constantiensis, & Brixinensis Episcopi, S. R. I. Principis, qui
ma

majorum splendorem propria virtutis
 gloriâ exæquans, Religione conser-
 vanda, & augenda, justitiâ, clemen-
 tiâque temperandâ per omnes sue di-
 tionis partes diligentissimus, Belgicæ
 Provincia difficillimis temporibus à Phi-
 lippo II. Rege præfectus, eam incompa-
 rabili prudentia, & fortitudinis lau-
 de administravit; perduelles armatos
 togatus terruit; Romam, anno seculari
 religioso peregrini habitu visens, à
 Clemente P. O. M. agnitus in Vatica-
 nas ædes amantissimè receptus, post
 solennes Basilicas veneratas, vi morbi
 lecto affixus, sacris mysteriis ab eodem
 Pontifice ritè expiatus, ex terrena pe-
 regrinatione, ad cœlestem patriam mi-
 gravit, incredibili desiderio defletus,
 publico funere elatus, exequiis, præ-
 sente sacrò Collegiò, & Curia tumu-
 latus est. Vixit annos XLII. menses V.
 dies XXVIII. obiit annò MDC. pridie
 Idus Novembres. Carolus ab Austria
 fratri unico unicus desideratissimo
 maestus posuit.



ANDREAS

BATHORIUS,

S. R. E. CARDINALIS.

Andreas Bathorius de Somlyó *Genus Bathorii,*
 Traſylvanus majorum imagini-
 bus clariffimus, & Patruo Stephano
 Rege Poloniæ honoratus, propriis
 quoque moribus, & virtutibus nobi-
 litatus; poſt traductam eleganter ado-
 leſcentiam, apud Greg. XIII. ſum-
 mum Præſulem, à Patruo legatione
 juſſus eſt fungi. In Romana Curia ea
 egregiæ indolis, præſtantisque inge-
 nii ſpecimina dedit, ut Pontifex,
 tum his; tum Stephani Regis, in pro-
 pagandam Religionem Catholicam
 ex animo, ſummâque curâ incum-
 bentis meritis commotus, primùm
 Andreae Protonotarii Apoſtolicæ ho-
 norem conceſſerit, deinde Purpuram *Fit Cardinalis.*
 cum titulo Diaconali S. Angeli, in
 foro piſcium pridie Calendas De-
 cembr. annò ab orbe redempto 1583:
 contulerit. Ad recens creatum Va-
 ticanæ Curiaæ Senatorem Carolus
 Borromæus Cardinalis, poſtea in
 ſanctorum numero collocatus, ſpi-
 ritu

ritu divino plenam dedit epistolam, quâ ad vitæ rationem Andre-
 tatus Purpurato Patre dignam, le-
 gésque eam consequendi valde ac-
 commodas annexuit. Cujus sancto
 studio, ac documentis, ut Andre-
 as morem se gerere ostenderet, ei
 epistolæ his literis respondit: *An-*
dreas Cardinalis Bathorius à Somlyó
Carolo Cardinali Borromæo. Accepit
literas tuas Cardinalis amplissime,
plenas Christianæ pietatis, & Aposto-
licæ sollicitudinis exemplis, amorisque
in me notis insignes. Quas cum in-
credibili animi mei voluptate legi, Te-
que de mea salute (non verebar enim
humilem humilis Christi discipulus,
humili verborum genere, appellare vul-
gari illo modo, sed singulari quâdam
ratione, quæ non nisi charissimis solet
adhiberi) sollicitum animadverti: quod
ille tibi inspiravit, quem in omnibus
tuis studiis, & consiliis spiras, & à cujus
laude, & gloria propaganda nunquam re-
spiras. Benedictus DEUS, cujus hoc be-
neficium agnosco; quod hæc ætas mea in
hæc tempora inciderit, in quibus tu mihi
Angelus, ego tibi Loth; tu mihi Ra-
phaël, ego tibi Tobias; tu mihi Hie-
rony-

Ad literas
S. Caroli
Borromæi
respondet.

Apud Ciaco-
nium, &
Geor. Eggs.

onymus, ego tibi Neposianus; tu mihi
 Barlaam, ego tibi Josaphat; tu mihi
 Paulus, ego tibi Timotheus, cujus ille
 adolescentiam in illa Ecclesiarum solici-
 tudine regere, gubernarèque non eru-
 buit. At, utinam! qui tibi impera-
 vit, ut mihi Paulus esse velis, mihi
 quoque inspiret, ut esse tibi Timothe-
 us contendam, & omnia pietatis præ-
 cepta, quæ tu mihi, in pyxide Spiritûs
 sancti calamum tuum intingens mon-
 stras, sine ulla excusatione, vel ætatis,
 vel difficulatatis, non spe, & expe-
 ctatione, sed re, & veritate impleam.
 Id autem tantò me faciliùs à divina
 bonitate consecuturum arbitror, si tu,
 cùm ad Altare Domini steteris; cùm
 te in tuis cubiculis in illius conspectum
 projiciens, me quoque in eorum nume-
 rum referendum putabis, pro quibus
 cordis tui sanguinem, per lachrymas ex
 oculis defluentem sacrificare consuevi-
 sti. Voluntatem enim, ait ille, timen-
 tium se faciet, & deprecationem eo-
 rum exaudiet. Id si mihi per te con-
 tingerit (quod equidem valde spero) nec
 ista generis mei claritas, nec iste locus,
 nec res, nec dignitas, nec ulla corpo-
 ris, aut fortuna bona, tanta esse pote-
 runt,

runt, ut ea existimem cum hoc uno tuo beneficio, ullò pactò esse conferenda. Me quidem ad hæc omnia, quæ abs te proponuntur vitæ studia, dies, ac noctes incendunt, tum majorum meorum Regum, & Principum exempla (qui pro fide Christi contra diversas artes Antichristi, cum igenti sua laude, extrema sæpe pericula adierunt, diffugiendas existimarunt) tum ipsa quoque mea præsens Ecclesiastica vocatio, Regiæque Majestatis Domini, & Patru mei clementissimi expectatio, ac rerum in orbe Christiano conversio. Et quidem etiam à natura nobis dati igniculi, ad omnia summa pro vera pietate audenda, tentandaque inflammant. Sed hæc ita pia, ita paterna tua de me sollicitudo, hæc tam vitæ studiorum, quam occupationum circumscriptio, hoc gubernandæ familiæ artificium, quod in tuis literis expressisti, sicut olim Tobiam Angeli manus, ex quo cupio, viâ quâdam expeditâ ducere me videntur. Quo nomine, quantas animus meus capere potest, & ago, & habeo tibi gratias, habeboque dum vivam. Nec ullo unquam tempore, tum apud ceteros omnes, tum apud Serenissimum

Regem paternæ tuæ dilectionis prædicationem prætermittam, cui & ipsi, non alius profectò, quàm is, qui suum domicilium in tuo pectore collocasse existimatur DEI spiritus, hujus consilii, & cogitationis initium attulit, ut me ad te mittendum putaret: ut in te uno Ambrosios, Augustinos, Basilios, Gregorios, Hieronymos relucens, in te uno superiora simul secula, in te uno opera sanctorum, quæ in Ecclesiasticis Annalibus legebamus, his meis oculis viderem. Quod beneficium in hac ætate mea mihi contigisse, & gaudeo quidem certè plurimum, & in arce pectoris mei diligentissimè ponendum puto. Sed nolo te longioribus literis publici commodi procuratione impeditum, impedire. Hoc tibi persuadeas velim, neminem esse, qui te ex omnibus, quos iste sol aspicit, qui tuas virtutes, pluris, quàm ego faciam, & admirer. DEUM precor, ut te vir DEI pro Ecclesiæ suæ utilitate, quàm diutissimè servet incolumem, & felicem. Romæ pridie Nonas Februarii 1584. Ex literis istis conjiciat lector, cujus animi, probitatis, atque eruditionis Andreas Bathorius fuerit.

*Gregorius
Peibò ad
hunc animum
in fine.*

*Andreas fu-
git Patruì
iram.*

*Vide Ist-
oriam
lib. 29. ad
an. 1595.*

*Adi eundè
lib. 31. ad
an. 1599.
Andreas
Cardinalis
præficitur
Transylv.*

Reversus ad suos Annò 1589. Var-
miensi in Polonia Episcopatu potitus
est. Ac modò in Sarmatia, modò
in Dacia versans, hic cognatam Au-
lam, ibi sibi amicissimam frequenta-
bat. In Transylvania tamen Sigis-
mundi Patruì Principis furorem vix
subterfugit, & devitavit. Annò e-
nim 1594. quò Sigismundus inito cum
Cæsare Rudolpho fœdere, à Turca
se disjunxerat, huic fœderi contra-
dicentes omnes è vita sustulit: nomi-
nantur verò fuisse: Balthasar Batho-
rius ejus frater, Joannes Iffiu, tres
cognomentò Kendii, Alexander, Fran-
ciscus, & Gabriel; Wolffgangus Ko-
vacsocius Cancellarius; Joannes Bor-
nemisza, Georgius Déakus, Joannes
Forro, & aliquot reliqui. Visâ hac
cruentâ strage (ut in ejusmodi turbis
etiam innocens sæpè trepidat) An-
dreas, & Stephanus ambo Bathorii in
Poloniam fugam cepère. Andream
tamen dein Annò 1599. in locum su-
um Transylvaniae præfecit Sigismun-
dus, habita priùs ad Proceres gravi
oratione, in qua, & ætatis vigorem,
& sustinendis bellis apprimè parem,
nec non vicino cum Rege Poloniae
arctam

arctam Andreae amicitiam, & clientelam, indeque Transylvaniae unicum Provinciae tuendae praesidium praedicabat. His prolixè explicatis, & partionibus quibusdam factis, non invitò Procures in verba Cardinalis coëgit. Re celeriter transactâ Sigismundus Principatu relicto, conjugem Christiernâ ad Parentem suam ire permissâ, & ipse itinere per Moldaviam factò, in Poloniam se subduxit, Zamoscii magni Poloniae Cancellarii, cui antea Grifeldis soror ejus matrimonio conjuncta fuerat, eâ ætate exercituum Imperatoris tutelâ fruiturus. Cardinalis ergo Principatûs gubernacula suscepit; sed non diu illi pacifico esse datum est, & quietè rerum potiri; quippe: & Georgium Bastam cum Cæsareis copiis jam ante in Sigismundum paratis, adventantem percipiens, & Michaëlis Valachiae Transalpinæ Vajvodæ, quem spes, sibi ab Austriacis conferendæ Transylvaniae praefecturae, arma capere succenderat, veritus fraudem; cum incassum has tempestates pacificè amovere niteretur, nihilque spei, sui in gratiam Cæsaris recipiendi affulgeret,

ret, ab armis auxilium petendum fuit. In arenam primum descendendi occasionem dedit Michaël, insperatè Siculis in belli societatem adscitis, numerofo exercitu in Transylvaniam sese infundens. Pugnatum est in campis Cibiniensibus 28. Octobris anni ejusdem: bis victoria à Michaële stetit, quam tamen Marte secundo extorsit, fufis, fugatisve Michaëlis copiis Andreas Cardinalis; verum cùm vidisset è suis multos desiderari, seq; non fore ampliùs bellum instauraturis hostibus resistendo, causâ reparandi exercitûs cum ducentis, eòq; ampliùs Nobilibus in Moldaviam fugere tentans, intra Alpium angustias à rusticis Siculis 31. ejusdem Octobris cæsus est. Ità enim Patres Societatis JESU, eo tempore Claudio-poli commorantes, in suas Annuas retulêre. Quare non placet eorum sensus, qui ad radices montis Aito-fii, Transylvaniam à Moldavia, & Podolia dirimentis, quiescentem, ab hostibus sollicitè quæsitum, interfectum scribunt. Nec placet, quod in Mercurio Gallo-Belgico legitur, eum ex fuga in abditis sylvarum latibulis somno

*Pugnat eũ
Michaële
Vajvoda
Valachia
Transalpi-
nae.
Annua liti-
ra Soc. JE-
SU Tran-
sylvania.*

*Andreas
Cardinalis
occiditur.*

fomno indulgentem, à latronibus somnô, & vitâ violenter exturbatum. Sed & Vincentius Robardus malè eruditus fuit, dum scripsit, eum ementitâ veste fluvium tranantem, à rusticis, hostibus fervientibus, occisum; cum extra vanitatem major habenda sit eis fides, qui has inter tempestatas vixêre, & certius ob vicinitatem loci, ubi, à quôve vis illata fuisset, rescire potuêre. Præterea fidem auget à Siculis è medio sublatum fuisse, jejunium strictissimum, cujus Siculicatio annis centum à Pontifice Clemente VIII. damnata fuit. Cadaver, non ut aliqui, inter quos Istvanffius, autumant Albæ Juliæ, sed Claudio-poli, in majus templum illatum, succollantibus Provinciæ senatoribus, terræ mandatum est: Funus comitante ipsô Vajvodâ; justa verò persolvente Demetrio Napragyio, electo Transylvaniae Episcopo, non absque plurimorum commiseratione, qui vix trigessimum tertium ætatis annum supergressum, in optimo vigore Principem, & Cardinalem tam sævo novercantis fortunæ casu, prorsus indignum judicabant.

*Specialiter
Claudiopoli*

Georg. Jos. Eggs in Bathorio Cardinalale. Commotus etiam erat Pontifex, tum quòd jam alter è Purpuratorum senatu cruentè sublatus fuisset, tum acceptis Nunciis Poloniae, in quibus significabatur ex nece Cardinalis universae Regni aulae allatum moerorem. Et quamvis à Cæsare in datis ad Pontificem post cladem (cum scripsisset nondum rescitam) accusaretur Andreas, tanquam cum communi Christiani nominis hoste collusisset, eaque de causa Pontifex rogaretur, ad justas Andreae poenas infligendas, tamen in reos necis, tanti Principis, censuris agere constituerat, nisi à convocata ad judicandum Cardinalium corona, & consilio plurium, non esse per censuras ullò pacto procedendum, ei persuasum fuisset: propterea, quia in bello, pro Ecclesia gesto non occubuisset. Sententia igitur ad nova consilia, dum certius de re gesta cognosci posset, rejecta est. Sed deinceps, præter memoratum jejunium, Siculis impostum, nec quidquam in causa Bathorii motum est. Insimulabatur cædis etiam Germanicus Malaspina S. Severinae, an Casertanae Episcopus, Nuncius Apostolicus, qui in Transylvaniam

Vincenzius Robardus in quinquennibus Sixti V.

niam illis diebus penetraverat. Nemo laudes, turbatis rebus Transylvaniæ, tumulo Andreæ inscripsit, sed damnum hoc Vincentius Robardus compensat eleganti hic subjecto carmine :

*Magna canam, vos magna pie
memorate camœnæ.*

*Audiat ut laudes hoc diadema
suas.*

*Bathorius, cui tota patent Helico-
nia septa,*

*Ætherei socius Cardinis ecce ve-
nit.*

*Qui licet Icarios nondum tolera-
verat æstus,*

*Corpore bis decies, Rege crea-
tus avo;*

*Clara tamen propero veniens
prudentia passu,*

*Finxit honoratâ pectora clara
manu.*

*Hinc bene lascivæ decurrens pra-
ta juventæ,*

*Intulit eximiis nomina magna
viris.*

*Nobilis ergo suo, jam Transylva-
nia pene
Regia, Bathorio scepra datura
fuit.*

GEORGIUS
DRASKOVICH,
S. R. E. CARDINALIS,
Archi-Episcopus Colocensis.

Georgius Draskovichius vetustis
avorum ceris splendidus, virtute,
& doctrinâ sydus Hungariæ, natalem
diem sortitus est annò 1515. Genus
suum jam inde à temporibus Belæ IV.
(quem è Dalmatia reducem majores
secuti erant) nobile, singularibus ge-
stis illustravit, & orbi maximè notum
fecit. Ab ineunte ætate musis se to-
tum donavit, variâsque linguas, re-
rum agendarum necessaria instrumen-
ta condidit. Ordini Ecclesiastico,
ad quem indoles optima eum scitè
formaverat, adolescens nomen dedit:
in hoc virtuti tantæ, & literaturæ,
quid aliud, nisi infulæ debebantur?
Annò itaque 1550. ordinatus est Epi-
scopus Quinque-Ecclesiarum.

*Vir doctri-
nâ, pietate
poclytus.*

Pio IV. Pontifice Max. Orator Cæ-
 sareus jussu Ferdinandi I. (cui à sa-
 cris confessionibus erat) ad Conci-
 lium Tridentinum profectus , plura in
 rem communem egisse fertur. Ac
 primùm quidem Gallis Oratoribus
 suam concilio petitionem exponenti-
 bus, Georgius accessit. Usum cali-
 cis illi à Pontifice in vulgus se obten-
 turos confidebant, quod & huic à
 Ferdinando in commissis datum fue-
 rat, & per literas assiduè commenda-
 tum; alioquin futurum fore, ut plu-
 res populi Apostolicæ Sedis studiosissi-
 mi secessionem facerent. Nihilomi-
 nus postremâ sessione, à qua exopta-
 tam concessionem expectabant, spes
 intercidit. Quam quidem novi Pon-
 tificis creatio rursus erexerat; sed in
 varias Patrum animis propendentibus
 sententias, cum maximè timeretur,
 ne concilii auctoritas læderetur, pror-
 sus evanuit. Cui rationi & ipse Dra-
 scovichius, ut facillimum prudenti
 erat, rerumque gnaro, haud invitus
 assensit. Imò verò 24. Mensis Augu-
 sti anni 1562. coacto in unum Patrum
 corpore, suam apertè mentem hac su-
 per re exposuit: nimirum Germaniæ

*In Concil.
 Tridenti-
 num able-
 gatur.*

*Proponit
 mentem Cæ-
 saris de ob-
 tentu cal-
 cis
 in vulgus
 distribuens-
 do.*

*Sfortia Pal-
 lavicinus
 lib. 17. c.
 14.*

*Suum pri-
 vatim men-
 tem super
 petitis expo-
 nit.*

po-

populis petitionem minimè salutis profuturam : idque etiam Concilio Constantiensi, cui Cæsar, ac Principes tantum operæ impendissent, vetitum fuisse, neque nunc vulgi rationibus quòquò modò succumbendum esse. Eòdem annò in communi Patrum confessu sententiam, quâ Reipublicæ Christianæ tantis malis, quibus eâ tempestate passim conflictabatur, oppressæ opportuna, & maximè accommodata remedia adhiberi posse ex docto illo Patrum consensu, eleganti, ac nervosâ oratione comprobavit, addiditque preces, ut misso omni alio negotiorum examine, quæ in publicum venire possent, in id unicè incumberent, ut remotis ab Ecclesia tot corruptelis, depravatis moribus feriâ emendatione irent consultum. Hic nempe ardor, ac zelus animum piæ Antistitis occupaverat; ut nihil sibi antiquiùs esse duceret, quàm virtutis radiis diffusis mundi faciem, hæctenus ut plurimum morum corruptelâ obnubilatam, sanctiori pietatis lumine illustratam contueri.

*Orationem
habet.*

*Controver-
sia oritur
inter Lega-*

Alter labor superandus erat Georgio, in tuendo honore Regis Apostolici;

ci; Legatus enim Lusitanus primas *tos de Pra-*
 in legendis literis, & mandatis ambie- *cedentia.*
 bat.

Litis occasio fuit Regni utrius-
 que Hungariæ, & Lusitaniæ præcel-
 lentia. De loco namque in seden-
 do, quæstio nulla esse potuit: Ferdi-
 nandus enim Martinez Mascarenus
 Orator Sebastiani Regis Lusitaniæ in
 dextro templi latere, uti sæcularis,
 Drafeovichius in sinistro locum occu-
 pavit. In hujus favorem, peripe-
 ctum fuit omnibus, Regnum Hunga-
 riæ unô amplius sæculô ante Lusita-
 num institutum fuisse, & præcellens
 potentiâ, atque amplitudine. Quòd
 verò armis Turcicis laceffitum, hosti-
 que crudelissimo pervium factum,
 quidpiam de pristino splendore amife-
 ferit, virtutéque tantisper labefactatâ
 conciderit: Lusitano interim Regno,
 armis maritimis sui imperii fines extra
 Hispaniæ oras producente; res meri-
 tò controversa videbatur. At enim
 in simili olim controversia Leo Papa
 IX. pro Carthagine, quamvis diruta
 sententiam tulit contra Africanos
 Episcopos, qui propterea, quòd pristi-
 no exuta esset decore, juribus illius
 derogare volebant; quibus proinde

Spondanus
Annalium
Eccl. ad
annum
 1562.

respondit : *Carthago integra servari debet, seu deserta jaceret, seu quondam resurgeret.* Eam ob rem ut offensionem ex nulla parte occasio daretur, eo ordine mandata legenda erant, quò exhibita sunt, nullà Principum habità ratione. Palmam tamen tulisse videtur Georgius: quamvis enim 24. Februarii primum exhibuerit mandatum Ferdinandi pro Hungaria, Mascarenius verò 9. ille tamen receptus fuerat pro Regno Hungariæ 6. Februarii, unà cum duobus aliis Imperii, & Bohemiæ Oratoribus, ut ipse testatur in oratione habita in Congregatione, ubi pro loco Regi Pannoniæ assignato grates singulares rependit. Ita dexter in omnibus Drascovichius erat, ut prudentiâ, & eloquentiâ, quâ singulari pollebat, in difficillimis sibi negotiis commissis optatum, ac jucundum finem assequeretur.

*Episcopus
Zagrabiensis
creatur.*

Solutâ Synodò domum reversus à prudentia, consilio, & aliis viro Ecclesiastico propriis virtutibus magis, magisque commendatus, post aliquot annos Prorex Regni Croatiae, & Episcopus Zagrabiensis renunciatus est. Has præfecturas gerens, & Croatiam
à la-

à labe hæresum immunem, integrám-
 que servavit, & à cervicibus inson-
 tùm, & rectis ferrum removit. S.
 Pius Papa V. æquissimus certè rerum,
 & virtutum æstimator, auditâ Geor-

*Tumultus
 Seditioso-
 rum Rusti-
 corum in
 Croatia se-
 dat.*

gii in superos, & populum sibi concre-
 ditum pietate, fortitudine item, &
 constantiâ, in asserenda sancta univer-
 sali fide, epistolam à Spiritu Sancto
 dictatam, laudis, & gratulationis re-
 fertam ad eum dedit; quam lectori
 Catholico cum quodam mentis gustu
 legendam exhibemus.

*Ad Georg.
 epistola Piæ
 V. Pont.
 Max. Lib.
 3. Epist.
 31. edit.
 Antæer.
 1640.*

*Venerabili Fratri Georgio Episcopo Zagrabia. Ve-
 nerabilis Frater salutem, & Apostoli-
 cam benedictionem. Christianæ chari-
 tatis affectus, pastoralisque servitutis
 commune nobis cum venerabilibus fra-
 tribus, & Episcopis nostris vinculum,
 non sinit nos expertes esse ejus letitiæ,
 quam de illorum virtute conceptam, ani-
 mō percepimus. Itaque cum de tua
 eximia in DEUM Omnipotentem pie-
 tate, Religionisque Catholicæ studio, ac
 divini honoris zelo, multa constanti
 plurimorum famâ ad nos allata essent,
 faciendum esse existimavimus, ut non
 solum quantopere hæc nobis grata acci-
 dissent, tibi significarem, sed tibi*

quoque de eis gratulareremur. Vera autem gratulatio est, quam non presentis temporis aut necessitas temporalis extorquet, aut terrena commendat utilitas, sed quæ de sanctis, bonisque operibus suscepta, cælestis mercedis gloriam habet. Quòd enim in gubernando, custodiendòque grege, fidei tuæ ab omnipotente DEO commisso, eam prudentiam, vigilantiamque adhibes, ut bonorum tuorum fama istis Pannonici Regni finibus non contenta, huc ad nos usque perferatur, hoc gaudendum esse in Domino cognoscimus. Itaque gratias agimus Redemptori nostro, qui inter cætera pietatis suæ dona ita fraternitatem tuam Catholicæ Religionis amore incendit, ut quicquid ad ejus conservationem, propagationemque pertinere cognoscit, id & diligenter, & alacriter exequi non desistat. Quamvis autem eum, qui, adjuvante DEO, ita sit animatus, supervacuum videatur esse magis hortari; tamen, quia te, inter cæteras tuas virtutes, fraternæ quoque hortationis verbalibenter suscipere existimamus, idcirco hortamur, ut quam ingressus ad cælum ferentem viam, ab ea ne iter tuum deflectas, donec eò, quò

con-

contendis pervenias. Sit Clero, populoque tibi commissò vita tua sanctitas, regula, atque norma, ad quam actiones, morésque suos uterque studeat conformare. Mali vitiorum pœnam, boni virtutum præmium, sibi à te expectandum esse intelligant. Hereticorum venena, ne gregem tuum inficiant, quantâ potes diligentiam contende. Quominus ea semper agas, quæ DEO beneplacita sunt, nullius te hominis metus deterreat. Nemo mercedem tuam evacuet. A nobis autem omnia fraterna charitatis indicia semper expectato: de qua nostra erga te propensione, cum hoc dilecto Francisco Dietabevio copiosius egimus, qui tibi has nostras literas reddet, cui fidem habebis. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris. Die 9. Augusti, M. D. LXIX. Pontificatus nostri annò quartò. Hæc Pater ad Filium. Nobis alterum narrandum est. Turba agrestis in Regno Croatico tumultum excitaverat, Rege sibi quodam, Matthia Gubezio delecto; quæ totis pene finibus nefariè grassata, inque rapinas, ac cædes effusa, damna incolis non parva passim inferebat: quin adeò multitudinis impetus ferox exti-

Georgius
Pettbò in
Chron. ad
num.
1573.

tit ; ut quò plures in agmen coadunati venirent , hòc major sceleribus , ac ruinæ Regni optimi via aperiretur : nemo securus vitæ domi agebat ; at nobilibus præsertim exitiales ; hos fortunis exutos miserè contrucidabant. Crudelitatem seditiosorum ut reprimeret , principiò Drascovichius obviam tumultuanti plebi misit cum prompta manu viros virtute bellicâ præstantes Gasparem Alapium , & Matthæum Keglevichium , qui impetum , si ita occasio ferat , sustineant , manúsque conserant pro focis , liberisque defendendis. Milites aliquamdiu incerta vestigia furentium legentes , paulò post ad Stubicz^m eos offendunt , coguntque ad congressum. Represso initiò statim inconditæ plebis impetu , aliis in fugam actis , quàm plurimis cæsis , victoriam facilem obtinuerunt , eoque majori omnium cum gaudio domos suas repetierunt , quò præda ex prælio ditior reportata. Matthias verò Gubezius Rex agrestium comprehensus , in vinculis Zagrabiam , Sedem Episcopalem adductus est , ubi meritas homo facinorosus pœnas dedit. Regem tamen ,
quia

*Matthias
Gubezius
Rex Seditiosorum
capitur.*

quia se juberi permiserat à suis, ut ne ipsa pœna quidem regiæ dignitatis teste vacaret, coronam in pœnam iudices destinaverunt. Hanc proinde è *Mors illius.* ferro ruditer factam, igne candentem fontis capiti licitor imposuit, adustoque vertice, & quadrifariam diviso, urbi Zagrabiensi conjuratorum principem exhibuit spectandum. Liberatum à seditiosis Regnum, paci que pristina restitutum, florentem in Regno Ecclesiam DEI conspexit, quæ seditiosorum tumultu perstrepenste, jacturam aliquam sui vigoris passa fuisse memoratur: neque enim fieri potest, ut intestinâ clade Regna afflicta pietati tantum vacent; quantum si pacem totò Regnò florentem conspiciamus.

At virtutes, ac merita Drascovichii *Transfer-* toti Regno Hungariæ perspecta, *tur ad Epi-* virum ad altiora sustulere; namque An- *scopatum* nò 1578. ex Episcopatu Zagrabiensi *Jaurinen-* ad Jaurinensem translatus, & electus *sem, &* Archi-Episcopus Colocensis à Rudol- *Archi-Epi-* pho Imperatore nominatus est. Dici *scopus Colo-* nequit, quàm faciles honorum acces- *censis de-* sus virtus semper honora suis pandat *claratur.* amatoribus. Georgius id optimè periclitatus, quem tam parvò annorum

intervallò per infulas, aliásque dignitates vexit, cunctisque, meritis gravem suspiciendum præbuit. Quia verò singulari, ut dictum est, dicendi vi præditus erat, auctor fuit, ut cùm Pius IV. Romanus Pontifex Stanislaum Hosium integerrimæ vitæ hominem (Nuncium tunc temporis Apostolicum apud Ferdinandum Cæsarem) eodem Cæsare instante Cardinalem creâisset, & per suos Cubicularios deferenda eidem Cardinalitiæ dignitatis insignia Viennam usque misisset; ipse verò Hosius mense uno purpuram admittere obfirmatò animò renuisset, ab uno Drascovichio ad acceptandam dignitatem (rejectis omnium aliorum rationibus) adductus sit. Verba viri, quibus eundem ad parendum denique Christi in terris Vicario permovit, ex Georgio Eggio depromere placuit. Sunt verò: *Ant tu non es obedientiæ filius? an non eam semper à nobis exigis? si diutius resistis, DEO, qui te vocavit, non nobis resistis: Vide quid feceris? malum certè nobis exemplum præis; qui, si te in hoc sequamur, nōne inobedientes filii proclamabimur? nōne tuò vitiò culpabiles*

*Stanislaus
Hosio per-
suadet pur-
puram sus-
cipiendam.*

*Georgius
Josepb.
Eggs.
Purp. Doct.
in Cardina-
le Hosio.*

les DEO, & Ecclesie reddemur? melior est obedientia, quam victima: quam si praestiteris, DEO, & hominibus gratus eris. Hic sermo erat Drafcovichii ad Stanislaum Hosium, quò animum hujus expugnavit, ut pileum sacrum admitteret; quem meritissimo capiti Nicolaus ille Olahus Archiepiscopus Strigoniensis vir doctissimus, & Ferdinando Imperatori familiarissimus imposuit. Ut verò facilis erat Drafcovichius in captivandis aliorum animis; ità pariter & sibi novit optimè imperare, séque superior, & melior evadere constantissimè adnittebatur. Eum scriptor Hungaricus taliter deprædicat: *Georgius Drafcovichius fuit vir timens DEUM, probus, spectabilis, sanctus Dominus, idemque Cardinalis, Colocensis Archiepiscopus, Jaurinensis Episcopus, Hungariae Locumtenens.* Dignum sanè Ecclesiastico Principe elogium; cuius animum ardor Religionis ubique locorum promovendæ occupaverat, aded, ut nîl sanctum, nîl DEO gratum unquam omiserit, quò gloria divina propagaretur. Nec supremum numen fatigia viri remunerari destit,

Gregorius
Pettbò.

*Annò 1585.
factus Car-
dinalis Pre-
sbyter &
Locumte-
nens Regius*

tit, Rudolpho siquidem II. Imperatore interpellante Presbyter Cardinalis absens licet declaratur; quo tempore simul etiã Locumtenens Regius per Hungariam, summusq; Aulae Cancellarius, Sede Strigoniensi vacante, dictus est. Hos in Regno summos magistratus exercens, dici nequit, quantum bono Reipublicæ Christianæ, & Religionis orthodoxæ studuerit. Latent quidem permulta egregia ejus ornamenta, at illud speciale, ceu stella emicat.

*Annò 1586.
impetrat
Soc. JESU
Præpositu-
ram Turo-
ciensem à
Rudolpho
Cæsare.*

Videns in dies Religionis veræ propugnatores, & vindices in Regno Hungariæ decrescere, suosque hæresim fines latè extendere, ut firmiori repagulo malum serpens coërceret, quâ precibus, quâ rationibus à Rudolpho Cæsare Præposituram Turociensem Patribus Societatis JESU impetravit, unde suos quotannis proventus socii complures acciperent, qui juventutem Hungaricam studiis literarum, ac virtutum instituerent. Hac super re Diploma exstat, quod lectori exhibere libet, éstq; sequens:

Nos Rudolphus II. DEI Gratiâ Electus Romanorum Imperator, semper
Augu-

*Augustus, ac Germania, Hungariae,
 Bohemia, Dalmatia, Croatia, Scla-
 vonia &c. Rex, Archidux Austriae,
 Dux Burgundiae, Marchio Moraviae,
 Comes Tyrolis, &c. Memoria com-
 mendamus tenore praesentium, signi-
 ficantes, quibus expedit, universis.*
*Cum ab eo tempore, quo haereses DEO
 ita permittente pullulare passim, &
 serpere, ac incrementum habere ince-
 perunt, non sine dicti Regni nostri
 Hungariae, ejusdemque Ecclesiarum
 damno factum sit, quod Sacerdotum
 Catholicorum numerus diminutus esset,
 & per hoc ipse verus, & antiquus Dei
 cultus decrevisse conspiciatur; idque
 ideo potissimum accidisse comperiamus;
 quod Scholae Catholicae, in quibus ipsa
 juventus erudiri, & ad Sacerdotium,
 verumque, & antiquum DEI cultum
 commodè instrui potuisset, vel raro
 admodum, vel propter defectum bono-
 rum, & doctorum Praeceptorum, ac
 ipsorum scholarium sustentationem pa-
 rum frequentatae, ac celebratae fuerint:
 ut itaque ipsa Catholica juventus dein-
 cept per DEI gratiam accrescat, &
 major habeatur commoditas, cum ipsam
 veram, & Catholicam Religionem ab*

omnibus palàm profitendi, tum etiã
 honesta literarum studia amplectendi,
 & per hoc ad sacrum Sacerdotii ordi-
 nem ritè aspirandi; decrevimus beni-
 gnè cum pro nostro in ipsam Catholi-
 cam, & antiquam Religionem pio ze-
 lo, tum etiã ex consilio Dominorum
 Prælatorum, & Baronum, aliorumque
 Consiliariorum nostrorum, in dictum
 Regnum nostrum Hungaria (sicut id
 in ceteris quoque Regnis nostris non
 sine magna utilitate, & propagatione
 ipsius Catholice Religionis factum est)
 Religiosos Clericos, Soc. JESU intro-
 ducere, Collegiũque pro iis instituerẽ,
 ac fundare, in quo dicta juvenus eru-
 diatur, & ex qua, velut ex quodam
 Seminario Catholici Sacerdotes pro-
 dire; atque adedò antiquus verus DEI
 cultus incrementum, & propagationem
 habere possit. Quapropter ut dicto
 Collegio Soc. JESU, & personis DEO
 jugiter famulantibus, atque erudiende
 juventuti perpetuam operam navanti-
 bus, de vitæ, aliarumque rerum ne-
 cessariis queat esse prospectum, Prepo-
 situram Conventus Ecclesiæ Beatissime
 Virginis MARIÆ, in Comitatu Turo-
 censi existentem, per mortem, & de-
 ces-

cessum Reverendi quondam Stephani Radetii Episcopi Agriensis, & Locumtenentis olim nostri, ejusdem Præposituræ ultimi, veri, & legitimi Possessoris, de jure, & defacto vacantem, autoritate juris Patronatûs nostri Regii, quò in omnibus prædicti Regni nostri Hungariæ Ecclesiis more Divorum quondam Hungariæ Regum, Prædecessorum nostrorum bonæ memoriæ optimo jure utimur, simul cum omnibus ejusdem Præposituræ bonis temporalibus, utpote totalibus, Castrò Zniò, nec non oppidis, Villis, Teloniis, Possessionibus, prædiis, curiis, portionibus, & quibuslibet juribus possessionariis, tam in dicto Turociensi, quàm verò in aliis quibuscunque ejusdem Regni nostri Hungariæ Comitatus existentibus, & habitis, ad eandem Præposituram Turociensem, de jure, & ab antiquo spectantibus, & pertinere debentibus, memorato Collegio Jesuitarum applicavimus, dedimus, donavimus, & contulimus: ità, & tali conditione, ut sufficientes Societatis illius viri Religiosi in eodem Collegio juxta temporis conditionem continuè resident, &c. Datum in arce nostra Regia

*gia Pragensi 29. Maji. Annô Domini
1586. Regnorum nostrorum Romanô
undecimô, Hungariae & aliorum 14.
Bohemiae Annô undecimô. Georgius
Cardinalis Colocensis.*

Mors viri. Plura, majoraq; pro religione Ro-
mana cogitantem, ac molientem DE-
US ad præmia laborum evocavit; pri-
usquam enim Romam Cardinalitium
capeffurus Galerum concederet, æ-
tate jam præcipitatâ, morbô prostra-
tus pridie Kalend. Febr. Annô salutis
1588. regnante Sixto V. Viennæ,
aut, quod malim, Pofonii, è vivis
sublatus est, non sine omnium Ca-
tholicorum dolore acerbissimo. Inde
Jaurinum corpus delatum, honori-
ficentissimè in Ecclesia Cathedrali tu-
mulatum est. Vivit tamen & post
fata virtus Drascovichii, quam ille
vivens tantopere dilexerat, ut vitam
se vixisse non existimaverit, nisi vir-
tutum studiô probè exercitam. Vi-
vit hodièque memoria in stemmate
Illustrissimo Comitum de Trakostyân,
quod à morte ejus in orbe Hunga-
rico mirificè inclaruit, deditque Re-
gno Hungariæ, atque Croatiae Pro-
reges, & Curiaè Judices. Scripsit
Car-

Cardinalis varia, eaque eruditionis plena volumina, interque alia sermones sacros, orationes item sacras, atque profanas, in Comitibus, & Synodis habitas. Laudant illum præter Ungaricos scriptores Martinus Cabrera de Pontificibus, Petramellarius in Elogiis, & alii non pauci. Conditus est in templo maximo Jaurini loculò stanneò; cujus fragmenta quædam, sicuti & ossium hodie supersunt. Turcæ enim captò præfidiò ædem sacram profanaverunt. At quid mirum? Divorum Regum ossa quærimus, nec usquam reperimus. Evenit profectò justò DEI judiciò, ut eo tempore hos thesauros perderemus, quò in Divos insurrexerant, hagiomachi, ut sic dicam, Hungari.

FRANCISCUS

FORGACH,

S. R. E. CARDINALIS,

Archi-Episcopus Strigoniensis.

COMES Franciscus Forgachius, *Natales ejus. fit Vesprianiensis Episcopus.*
 majores sortitus arcium Gime
 siensis, & Gacsiensis quatuor retrò
 sæculis & amplius Dominos, ac pos-
 sesso-

fessores, annò à Christo nato 1566.
 natalem diem habuit; Patrem autem
 Sigismundum Forgachium virum sa-
 gò, togáque illustrem. Vespri-
 ensis primum, deinde Nitriensis Epi-
 scopus à Rudolpho II. Imperatore
 nominatus, & Cancellarii munere
 auctus, ea dedit Pastoralis zeli, virtu-
 tùmque specimina, ut non immeritò
 Pater patriæ, Religionis Catholicæ
 ornamentum ab omnibus audiret.
 Societatem JESU, non ità pridem in
 Ungaria odiò fidei hæreticorum im-
 pulsibus vexatam, unicè dilexit, at-
 que in pectore gessit, eámque ipsam,
 ubi ubi poterat, novis beneficiis cu-
 mulare non destitit. Itaque ne mi-
 rère deinceps lector, quòd multas
 hujus viri laudes ex consortio, & fa-
 voribus, quibus sustentabat Jesuitas,
 desumpturi simus; alia enim acta exi-
 mia ejus oblivio pleráque sustulit o-
 mnia, Societas, ut aliquid pro im-
 mortalibus in se meritis Francisco præ-
 staret, nonnulla animo, chartisque
 consignavit. Annò quidem 1586.
 collocatum Collegium Societatis JE-
 SU Varallyæ, sive in Monasterio Tu-
 rociensi, continenter à multis (ut
 hæc

*Societatem
 JESU spe-
 cialiter tue-
 tur.*

hæc ferebant, & fervebant intestinis odiis tempora, præcipuè ex adultis, & latè profeminatis jam hæresibus) majorem in modum divexabatur; insultibus, & injuriis mederi cupiens Rudolphus Imperator (qui, quemadmodum conditor erat Collegii, ita protector esse non omisit) ad præcipuos & Præsules, & Magnates Hungariæ, Stephanum nempe Fejérkövi-um Nitriensem, suum per Regnum Locumtenentem, & Præfectum Cameræ Ungariæ, Franciscum Forgáchium electum Vesprimiensem, ejusdemque loci Comitem perpetuum, Nicolaum Palfium Comitem Posoniensem, & Comaromiensem, Cubiculariorum Regionum in Hungaria Magistrum, partiumque Regni Cisdanubianarum Generalem, arcisque, & præsidii Ujvariensis Præfectum, & Nicolaum Dersffium de Szerdahely, Comitem Comitatus Hontensis, misit decretum, ut homines Societatis contra quoslibet violentos, & illegitimos impetitores, turbatores, ac damnificatores in bonis, ac personis, protegant modis, quibus possunt, & res postulant, omnibus. Acceptò Cæsare

fareò decretò cæteris cunctantibus, aut occupatis, Franciscus Forgachius confestim curam illius Ordinis suscepit. Quibus verò de causis id fecerit, Capitulum Strigoniense, à quo instrumentum literarium confectum hac super re acceperat, exprimit, cujus hic sermo est: *Pietatis zelò, speciali commissione, ac mandatò Sacratissima, Cæsareæ, Regiæque Majestatis, ad requisitionem P. Stephani Cassovii, Rectoris Collegii Societatis JESU, in Præpositura Turociensi habiti, motus, & inductus singularem protectionem, & defensionem tam personarum dicti Collegii, quàm Oppidi Sellyæ, in se recepit, & assumpsit.* Adeò nihil terrebant virum fortem, & Catholicæ Religionis studiosissimum ab hoc, non tam humanitatis, quàm necessitatis officio, minæ, odia, & inimicitæ apertæ, quas palàm gerebant adversus Societatem primi nominis, & dignitatis à sacris Romanis alieni; qui quidem suppressâ tantisper irâ, nihil acerbius moliri ausi, dum Bochaianæ turbæ invalescerent; tum verò laxatis omnis licentiæ habenis, sacris omnibus profanatis, exactis primum

Illius Patronium suscepit contra hæreticos.

mum Jesuitis, ac Sacerdotibus quibusvis, legem deinde ann. 1606. condiderunt; ne ulla usquam bona, ac domicilia in Ungaria Jesuitæ possideant; liceret tamen illis Missionariorum more apud Optimates Catholicos consistere. Verum discussis post aliquot annos his nubibus, & serenitate Regno redditâ, Forgachius protector, & quasi unus de Societate, per vim, perque nefas factam legem pro nihilo habens, publicè res Societatis curare denuò exorsus est; qua de re ipse audiatur hisce animum suum declarans:

Nos Franciscus Forgách de Gymes, Forgachii S. R. E. Cardinalis, & Archi-Episcopus Strigoniensis &c. memoria commendamus, tenore presentium significantes, quibus expedit, universis, quòd cum Reverendi Patres Societatis JESU, per Bochkavianam rebellionem absque juris ordine, in solum odium Catholice fidei, Præpositurâ Turociensi privati fuerint, idcirco juxta collationem ejusdem Præposituræ, à Sacra Cæsarea, Regiâque Majestate antè Patribus factam & diuturno usuroboratam, nunc quoque de jure,

○

dicta

dicta Præpositura spectare dignoscitur. quamobrem ejus beneficii administrationem, à Sacratissima Casarea, Regiæque Majestate eò usque nobis commissam, donec firmior aliqua ratio Societatis restituenda iniri possit, eâ ratione, ac expressâ obligatione nos accepisse jatemur, ut universos ejusdem Præpositurae proventus, ac utilitates omnis generis Patribus Societatis JESU administrari curemus, per Officialem ab eisdem Patribus approbandum, eisdemque obstrictum, ac in ratione reddenda ab ipsis dependentem. Quandounque autem Sua Sacratissima Majestati, aut successoribus Suae Majestatis, visum fuerit, ut Patribus dicta Præpositura resignetur, absque ulla mora, ac renitentia, sponte eam resignabimus, Conventum Turociensem statim, ac defactò, post adeptam possessionem Præpositurae restituemus. In quorum fidem hasce sigillò, & manûs nostræ subscriptione roboratas literas Sacratissima Casarea, Regiæque Majestati offerimus. Actum Tyrnavie die I. mensis Maji, Annò Domini 1613. Jam quæ prius ponenda erant, sed nec posterius omittenda, persequamur.

Mortuo Nitriensium Præsule, Ste- *Ad Nitriensium*
phano Fejérkövö, Rudolphus II. me- *sem Episcopo*
rita pro eo, ac decebat, respiciens, *patuno*
Francisco Infulam viduam dedit; quâ *transit.*

ille non tam pro dignitate propria,
quàm pro publico commodo usus, in
omnes quidem Catholicos Sacerdo-
tes, sed præcipuè in Jesuitas animò
ferebatur. Sellyense in primis domi-
cilium, quod consiliò amicorum in-
colere cœperant, opem Francisci plu-
rimam sensit. Nam quidquid in fa-
bricam petebatur, munificâ manu,
nullis parcens sumptibus, elargieba-
tur. Bibliothecam deinde non exi-

gui pretii, coemptis voluminibus au- *Patres Soci-*
xit, erexitque; atque ut erat propa- *cietatis Sely-*
gandæ DEI gloriæ cupidus, litera- *lye variis*
rumque amans, pro 12. Alumnis, qui *beneficiis tra-*
mansuetioribus literis operam darent, *mulat Do-*
aptique verbi divini præcones evade- *rum pro*
rent, domum annuo censu ad id con- *12. Alu-*
stituto largiter cumulavit, curamq; *mini ubi-*
dem fun-
dat.

Patribus Societatis, quos optimos ju-
ventutis instituendæ Magistros nove-
rat, ritè commisit. Nec multò post,
annò nempe à Christ. nativit. 1600.
die 29. Julii ibidem in templo ejus-
dem ordinis, sacramentò Confirma-

*Sacramen-
tum Confir-
mationis ad-
ministrat.*

tionis (quod à memoria hominum in illis partibus visum non erat) multitudinem confluentem munivit, mox sacris Pontificali ritu operatus, magnum in populo, qui ex vicinis undique locis eò advolârat, pietatis sensum excitavit: pauperibus deinde, qui gravi fame annò illò enecabantur, 50 modis frumenti ibidem subvenit. Rebus autem Ecclesiæ suæ prospiciens, cum hæreticâ impietate, plerâque coïnquinata videret, in Nitriensem Diocesim duos è Patribus Societatis sacros oratores accivit, qui vitæ exemplò, morùmque probitate, & verbi divini semente jactâ, fructus legerent optatissimos. Et verò postquam sæpius magnò divinæ gloriæ inflammati zelò ad concionem dixerunt, multas, in quibus tres illustres erant, personas Ecclesiæ Catholicæ restituerunt.

*Pauperibus
subvenit.*

*Duos Patres
Societatis
Nitriam
evocat.*

*Joanni Ku-
tassi in Ar-
chi-Episco-
pato Strigo-
nensi succe-
dit, & à
Paulo V. in-
ter Cardin.
adscribitur.*

Dum ea in apertum Forgachius referret opera, Strigoniensis Archi-Episcopus Joannes Kutassius 1601. vitâ functus est. Rudolphus Imperator, quem sufficeret eidem, Franciscò nostrò accommodatiorem reperit neminem. Differebat tamen honorem diu-

diutius, quatuórque annis Cathedram Strigoniensem Antistite suo orbari sivit. Sed penitius perspectâ Francisci gratâ in se voluntate, clarissimis operibus, & ante omnia fide, quam in defensione adversus Bocskaianum asseclam, & satellitem Redejum Nitria incorruptam tenuerat, composito truculentissimo Pannoniæ, & Daciæ motu, sine mora eum Strigoniensi mitrâ decoravit. Imò verò ut virtutem, ac merita viri amplissima quàm munificentissimè remuneraretur, Paulum V. ut inter Eminentissimos Patres adlegeretur, efflictim exoravit; quod ubi factum est 1607. ab Ecclesia, cui tunc præerat, Forgachius dictus est Cardinalis Strigoniensis. Incredibile dictu est, quanta bonos omnes, ob virum spectatæ fidei, ad tam excelsæ dignitatis apicem promotum, incesserit lætitia; partim idcirco faustis acclamationibus, partim conscriptis versibus magno Præsuli applauserunt; quorum aliquos ab auctore Anonymo compositos, nuper in lucem productos, legere non pigebit. Sunt autem isti:

*Cardinibus bene firma suis Roma
imbuit ostrô*

*Te, sis ut Patriæ tu quoque
cardo tuæ.*

*Et per te charæ pandatur porta
quietis,*

*Hanc si pandere vis, spem
superare potes.*

Item alii :

*Purpura Romanâ Forgach tibi
venit ab aula,*

*Et coccum, & vellus Patriæ
utrumque dedit.*

*Purpura te circumfluit, est color
aptus amanti,*

*Tu patriam primùm, si quid
amabis, ama.*

*Pileô rubrô
per Nunci-
um Apосто-
licum Poso-
nii ornatur:
sui tamen
solennitati
non interest
Matthias
Archi-Dux
Austria,
quæ ob cau-
sas.*

Hæc Poëta quidam canebat; Cubi-
cularius verò Pauli Papæ V. & Nun-
cius Apostolicus pileô rubrô in æde
D. Martini, Posonii die constituto
Forgachium ornavit. Aberat à cære-
moniis Matthias Archidux Austriae,
inensus illi, ob negatum sibi ad Regi-
um culmen consequendum suffragi-
um, quod jam à cunctis Proceribus in
eam sententiâ euntibus, adeptus fue-
rat.

rat, Stabat tamen innotus Forgáchius, cui id muneris creditum erat, ut Regem pro vetere more & coronaret, & agnosceret. Præcipuè verò conatibus obsistebat Stephani Illyéshazii, & Georgii Turzonis; quorum ductu Magnates cæteri in Matthiæ electionem consensum, in scio Rudolpho Cæsare, præbuerant. Nolebat enim ingratus illi esse, qui se ex Episcopo Nitriensi, Archi-Episcopum primæ Sedis Strigoniensis dixisset; cujus insuper commendatione interveniente, Cardinalibus associatus fuisset. Sequentem autem annò, qui fuit 1608. postquam Imperator armis Ungaricis tentatus, ut erat pacis, concordiaque amans, Matthiæ coronam Hungariæ transmissit, simulque ut ad Regni hujus habendas moderandas assumeretur, assensum præbuit, confestim ejus capiti diadema Divi Stephani Franciscus Cardinalis, & Metropolitæ Strigoniensis, & Locumtenens (ut ajunt) Regius imposuit.

Ne novus Rex admodum pernicio-
sa Religioni postulata Posoniensium
Comitiorum sua autoritate compro-
bet, cum reliquis Ungariæ Prælatibus

*Matthias à
Francisco
coronatur
Rex Ungar-
iæ.*

imprimis edictô per Ungariam sparsô,
 & in Posoniensis Capituli Tabularium
 illatô non diu post intercessit, dein
 porrectô in manus Regias scriptô lucu-
 lentè docet sinè grandi piaculo nulli
 Mortalium probari posse. Et cum
 non impetraret, quod orabat, inter-
 cessionem coram Rege instauravit.
 Hinc nomina Prælatorum de *more*,
 non de *consensu* ab iis præstito in De-
 creto Matthiæ Regis articulis Anni
 1608. adposita sunt. Scripti à Forga-
 csiô Regi porrecti hæc verba erant:
*Sacratissima Regia Dignitas, Domine
 Clementissime. Quanquam nihil an-
 tiquius, aut magis in votis habet affli-
 ctus Ecclesiasticus status Hungariæ,
 quàm ut secundum DEUM Majestati
 Vestræ obsequatur, ejusque nutum, ac
 voluntatem, qua par est, veneratio-
 ne suscipiat, sequaturque: Quia ta-
 men fidelitatis, ac debiti obsequii ea
 quoque potissima pars est, ut Ecclesia-
 stici, quorum curæ, ac fiducia anima-
 rum salus concredita est, quæ legibus
 Divinis adversantur, pro virili parte
 advertant, Regibusque Ecclesiæ Nu-
 tritiis, quæ animæ ipsorum salutaria
 sunt, ea, qua par est, submissione
 suggerant.*

Idcirco Majestati Vestrae significandum censuimus, posse quidem Majestatem Vestram passim grassantes, & severissimè omnia depascentes in Hungaria hereses impunitas tollerare, zizaniamque ad messem usque crescere sinere, quando evellere illas, aut omnino, aut certè sinè graviori, periculiosiorique motu non potest. Tamen legibus, ac articulis liberam, ac patentem Heresibus portam patefacere, earumque liberi exercitii defensionem patrociniis, protectionemque suam promovere non magis posse, quàm possit homicidiorum, aliorumque lege Divina interdictorum scelerum libertatem concedere, protectionemque præmittere, siquidem non minus grave vitium est Heresis, quàm cætera Divinis legibus interdicta flagitia; quæ omnia Divina scriptura, rationisque ipsius naturali ductu comprobari à Nobis liquide possunt. Ex quo illud est consequens: ut quoniam Sancto Apostolo Paulo docente cognovimus, non licere malafacere, ut eveniant bona, nullo quantumvis gravi, ac periculoso urgente casu, nullo cujusvis boni publici pretextu, nullo quantumvis gravi metu, falsæ Religionis libertatem,

tem, & protectionem legibus sanciri posse. Atque ideo, ut externa taceamus, Pii Reges Hungaria S. Stephanus, S. Ladislaus. Bela, & alii, coronas, vitasque suas in discrimen adduxerunt, ne hujusmodi defectioni à veritate subscriberent: & Arcadius Gaina Ariano petenti libertatem suae sectae, jacturam imperii se facere malle, dixit, quàm petitioni acquiescere; ejusque constantiam DEUS probari sibi mirabiliter declaravit: nam ut Sozomenus Lib. 8. c. 4. recenset, cum irritatus Gainas nocte concubia Imperiale Palatium violentus aggreditur, Angelorum excubiis deterritus, terga vertit. Nec est, quod percenseamus vel infelices exitus eorum, qui regnandi desiderio libertatem Religionum approbârunt, vel calamitates Regnorum, quibus hac eadem libertate involuta sunt, vel praedicia gravissima, qua Catholica, concessionibus istiusmodi generata sunt, vel denique, quàm difficile sit libertatem semel concessam, legibusque illatam rescindere; quàm multa animarum millia hac concessione percant, quarum rationem DEO reddendam scimus; quam denique pudendum sit,

Prin-

Principes Lutheranos, ac Calvinistas nullam in suis dititionibus Religionem tolerare præter suam, interea verò Catholica veritatis propugnatores patentem erroribus viam complanare.

Quæ, cum ita sint, Majestatem Vestram sacratissimam obsecramus per misericordiam DEI, per animæ suæ salutem, per Inclytæ Domûs Austriacæ illibatam fidem, per æternum Posteritatis de Majestate Vestra judicium, ut hanc libertatem Religionis omnibus legibus Regni Nostri contrariam concedere, articulisque inscribi non patiatur, sed contenta sit Majestas Vestra tolerare, quod corrigere non licet.

Si verò, quod absit, Majestas Vestra aliter faciendum statuerit, Nos omnes, ac singuli præfati, Capitula, Conventus, cæterique omnium Ordinum status Ecclesiastici in Hungaria, coram Divina Majestate, gloriosissimâque Virgine Maria, omnibusque Choris Angelorum, ac Sanctorum DEI; Item coram Majestate Vestra, ac toto mundo protestamur, Ordinem Ecclesiasticum nunquam consensisse, nec consensurum deinceps esse in hanc libertatis concessionem, atque adeò ante tremendum
Di-

Divina Justitia Tribunal rationem animarum, qua occasione hujus libertatis aeterna damnationi adjudicabuntur, à se transcribere.

Rogamus verò Majestatem Vestram, ut hanc nostram protestationem benignè, ac clementer suscipere dignetur; DEUS enim, qui corda scrutatur, & renes, testis est, nullo alio fine hac nostrae reclamatio, & protestatio à nobis profecta est, quàm ut nostrae imperimis, quos DEUS animarum salutis procuranda praefecit, deinde verò etiam ceterorum conscientiae, & salutis consulere-mus.

De cetero Majestatem Vestram diu, feliciterque, ac dignè Deò imperare, votis omnibus, ac suffragiis contendimus.

Sacratissimæ, Regiæque
Maj. Vestrae

Capellani ab universo flatu Eccle-
siastico à subsignandis delecti.

(L.S.) Franciscus Cardina-
lis Strigoniensis.

(L.S.)

(L.S.) Nicolaus Micacius ,
Episcopus Varadiensis.

(L.S.) Demetrius Napragy ,
Episcopus Jaurinensis.

(L.S.) Petrus Radovich , Epi-
scopus Vacienfis.

(L.S.) Ladislaus Majtheny ,
Veteris Budæ Præpositus.

(L.S.) Andreas Carolus Vas-
váry , de Szalavár, & Kapor-
nak.

(L.S.) Nicolaus Ballasfi , &
Capituli Jaurinensis nomi-
ne.

(L.S.) Matthias Submontanus,
proprio , & Capituli Poso-
nienfis nomine.

Neque hic restitit Præsulis pro Do-
mo DEI vigilantia. Lutherani deci-
mò supra sexcentimum Annò Solnæ
convenère arbitrò Georgiò Thurzò de
augenda secta, & premendis sacris
Romanis consilia initari. Huic Con-
ventui Franciscus edictum apposuit
pænis in eos sancitis, qui Imperia
Episcoporum detrectarent, & com-
probarent, quæ congregatis Solnam
placuisent. Libellò dein palmares
Sol.

Solnensium Sanctionum errores in meridiana luce posuit. Lutherani vicissim suos errores firmare conati sunt libellò, cui sæpè sæpius à diversis responsum. At frangi nequirit adversariorum audacia Matthiæ Regis jam Bohemiæ quoque Coronâ aucti coniventiam securior. Itaque Franciscus è Decreto Tridentinæ Synodi Provinciale Synodum Solnensi conciliabulo objicere decrevit. Omnem movêre Lutherani lapidem, ut Sanctum Forgachii Institutum metu eruptionis Rex prohiberet; sed nacti in Francisco Antistitem, qui animam poneret pro ovibus suis, causâ, & conatibus ceciderunt. Aperta mense Augusto Synodus, cui etiam Nuncius Apostolicus interfuit, Ecclesiæ Filios saluberrimis legibus munivit, & telis in adversarios instruxit.

*Ut Societas
JESU in
Ungaria
suis sedibus
restituatur,
apud Casarem
agit,
& impetrat.*

At Societatis JESU nunquam oblitus, quatuor post annis ereptò rebus humanis Rudolphò, nihil non agebat apud Matthiam Cæsarem, ut Religio illa pristinis sedibus, ac possessionibus restitueretur. Obstabat tamen non parùm iis conatibus illud, quod æstuantibus nuper Bocskaiianis furo-

furoribus, & tam divina, quàm hu-
 mana jura convellentibus Religionis
 hostibus, annóque 1608. lege latâ
 cautum fuit, ne Patrum Societatis
 Collegia in alicujus sedis, aut bono-
 rum possessionem admitti deinceps
 possent; rati his artibus itâ Jesuitis
 vias omnes interclusum iri, ut redi-
 tum in Ungariam porrò desperarent.
 Forgachius tamen inter obstacula ro-
 bustior, pro sincero, quò Rempubli-
 cam Christianam prosequeretur, amo-
 re, animum Matthiæ expugnavit,
 adduxitque, ut Patres in pristinas
 possessiones Regiâ, & Imperatoriâ suâ
 potestate reponeret. Sellyam tamen
 redire Patribus visum non est, pro-
 pterea quòd hoc Oppidum exiguum
 esset, omnique munitione, ac mu-
 rorum præfidiò nudum, non modò
 hæreticorum, qui frequenter res no-
 vas moliebantur, injuriis expositum,
 sed & Turcarum excursionibus, a-
 missò præcipuè Strigoniò, pateret.
 Timebatur proinde peculiariter, ne
 Turcæ turmatim ex arcibus ad rapi-
 endos homines, & prædas excurrere
 soliti, præcipuos quosque atque no-
 bilissimos adolescentes in fœdam, du-
 rissi-

*Jesuita Tyr-
naviam eli-
gunt appro-
bante For-
gachio.*

rissimamque servitatem traherent. Ergo Tyrnavia urbs non tam civium multitudine, aut ædificiorum splendore insignis, quàm religionis, pietatisque studiò cæteris eminentior, omnium Catholicorum votò, & ore nominatur, in qua sedes Collegio apta, & erigendis scholis idonea, poneretur. Erat hoc in optatis civibus ipsis, sed maximè Forgachio Cardinali, tum ut Patrum convictu, & consuetudine, cujus erat cupidissimus, jucundissimè perfrui posset, tum ut eorum curæ, atque industriæ agrum hunc excolendum traderet, quorum labore tam lætos, atque uberes fructus in orbe universo colligi summa cum animi voluptate videbat; nihilque ultra jam restabat, nisi ut locus aliquis Collegio statuendo idoneus inveniretur, in quo Societas stabilis, ac fixa permaneret, ut nec cujusvis motûs turbine moveri, nec adversariorum frequenti assultu labefactari possit. Erat in civitate monasterium quoddam cum templo D. Joanni Baptistæ sacro, quod olim Patres è Divi Dominici familia tenuerunt; postea refrigescente pietate,

ac

ac hæresum colluvione latius sese diffundente, ita Religiosorum numerus imminui cœperat, ut vix unus, alterve esset, qui & Cœnobium factum, tectum tueri, & alia ab ipsis frequentata munia obire posset; quò factum, ut posteaquam plurimis criminibus offensi supremi Numinis permisso, Buda urbs Regia, aliæque munitissimæ arces sub Turcarum jugum missæ sunt, sacræ Virgines Insulæ Budensis Leporum nuncupatæ, è sedibus suis migrantes, apud Kõrmendinum in Cœnobio quodam stationem aliquamdiu egerunt, sed brevi hostili metu inde exturbatæ, in hoc Dominicanæ familiæ jam quasi desertum Monasterium, eò, quòd & ipsæ ejusdem Ordinis essent (regulam sanè profitebantur D. Augustini præsidiibus Patribus Dominicanis) semet recipere coactæ sunt. Cæterùm post annos aliquot, Cœnobii ædificium omne cum templo ita deustum est, ut nulla deinceps Virginibus ejus restaurandi facultas reliqua esset; sed & religiosa disciplina quasi succisõ nervõ, aliquantulum solvi cœperat. Forgachius igitur cum videret ædi-

Monasterium iam destructum cum fundo illis à Cesare donatur urgente Forgachio, apud probante Paulo V. Pontifice.

ficii parietinas cœli injuriis quotidie magis, ac magis obnoxias, & ipsas Moniales sine magno fructu ibi morari, egit apud Matthiam Cæsarem, ut translatis hinc in aliquod aliud Cœnobium Virginibus, in quo secundum instituti sui rationem vivere, ac formari possent, læsi Monasterii reliquias cum ipso, ut dicunt, fundo, Societati donaret. Quod Imperator, accedente etiam voluntate Summi Pontificis Pauli V. summâ propensæ voluntatis erga Patres significatione præstitit.

1615. *Patres Tyrnaviam evocant Cardinales ad accipiendam domum possessionem, eoque splendide introducit.*

Hoc tamen secundo rerum successu magnopere exhilaratus Cardinalis, deportandas Posonium Virgines in Parthenonem S. Claræ curavit; tum mandatum accepit à Cæsare, ut Societatis hominibus Cœnobiū Tyrnaviense quamprimum traderet, simulque de rei exitu per epistolam se edoceret. Literis acceptis Forghius, Senatum de voluntate Matthiæ Cæsaris certiolem facit, eumque cohortatur, ut Patres benignè acciperet, ac res illorum, quâ posset contentione virium, tueretur. Cives, & pro sua erga rem Catholicam affectio-

ctione, & adversus Regem fide, ac obedientia, postulata, atque imperia se promptissimè executuros polliciti sunt. Quibus auditis Cardinalis, duos è Patribus Tyrnaviam evocat, qui futuri Collegii possessionem pleno jure adirent. Adfuère actutum P. Martinus Kaldius, & P. Franciscus Szegius, uterque Ungarus; & prior Tyrnaviâ oriundus. In ea adhuc cogitatione, ac cura versabatur Cardinalis, ut ad hæreticorum ignominiam quandam, Societas splendidissimo, quoad ejus fieri posset, comitatu, in ædes introiret. Tres itaque electi sunt ex ordine Antistitum, Joannes Telegdus Varadiensis Episcopus, Paulus Almafius Vacienfis, & Ladislaus Mayténus Sirmienfis; quibus additus est è numero Optimatum Ladislaus Petheus Camerae Regiæ Posonienfis Præfectus, & Janitorum Regalium Magister; duo item Senatorii Ordinis, Andreas Kuchera, & Casparus Partinger cum Syndico civitatis Matthia Sylla, accesserunt. Plures quæque intererant è Nobilibus, quos non vacat enumerare. Ut primùm ingressi sunt Monasterium (nomen enim ad-

huc retinebat) diploma Cæsaris, quò Cœnobii fundum munificè Societati dabat, donabátque, recitari altâ voce præcepit Cardinalis; tum ipse verba fecit, declaravitque affatim Imperatoris in Patres benevolentiam, & benefaciendi studium, séque desiderare parem à Senatu in eos propensionem. Scriptum autem Cæsaris donativum continens, Patri Kaldio Superiori designato in manum dedit. Multi quidem de secundo rei eventu valde gratulabantur, sed vix dici, credique potest, quantum ipse Forgachius. Tantum certè cepit voluptatis, & lætitiæ, ut diem illum festum, diem omni vita jucundissimum ore, vultu, & totius cultu, habitúque corporis, cunctis admirantibus sibi illuxisse significârit. Nec aliud animòolvebat, quàm ut templi ruinas, & vitiatos incendiò, atque imbris patrietes, quamprimùm repararet, postea domum Patrum habitationi accommodatam erigeret. Et perfecisset profectò hæc sua cogitata, si ita superis collibuisse; non multò enim post, cùm adversâ valetudine tentari cœpisset, mediocrum consiliò

*Templum,
& domum
restaurare
Patribus
studet, sed
congestim
infirmatur.
& paulò
post mori-
tur.*

liô ad balneas cœlô incommoedô profectus, tum corporis temperamentô, quod ad ardorem concipiendum aptissimum erat, tum thermarum caloribus inflammatus, in ardentem febrim incidit, atque inde in Oppidum S. Crucis deportatus, vi morbi ad extrema deductus, vir à propugnata Religione Catholica, fidèque in Reges maximè laudabilis, piissimè, uti vixerat, 16. Octobris diem summum explevit: magnum exitu suo bonis omnibus luctum, maximum sui desiderium reliquit. Quidam tamen non amici, ob expulsas Monachas mortem ejus acceleratam esse, sibi persuadebant; qui si Pauli V. epistolam ea de re ad Franciscum datam legissent, illis potius succensere debuissent.

Corpus Cardinalis Tyrnaviam de-
 latum (tametsi id vivens adhuc ve-
 tuerat) urgentibus Canonicis, &
 præcipuè Comite Sigismundo Forga-
 chio germano suo, Curia Regiæ Ju-
 dice, ac superiorum Ungariæ partium
 supremo copiarum ductore, summo
 apparatu, ac funebri pompâ ad D. Ni-
 colai, cum sequenti rudi Minervâ fa-
 ctâ, sepulchrali epigraphe conditum
 est:

*Ejus sepul-
 tura. &
 Epitaphiũ.*

*Illustrissimus, ac Reverendissimus
 Dominus Franciscus Forgach de
 Gimes, S. R. E. Presbyter Cardinalis,
 & Archi-Episcopus Metropolitanae
 Ecclesiae Strigoniensis, Locique
 ejusdem Comes perpetuus, Primas
 Regni Ungariae, Legatus Natus, ac
 Sacrae, Caesareae, Regiaeq; Majestatis
 Summus Secretarius, Cancellarius,
 & Consiliarius, & Cubicu-
 larius.*

*Cardinalis (obe) Comes, Archi-
 Episcopus istô*

*Franciscus tumulô Forgach jacet.
 Indue planctum*

*Orba fides, luge pietas magis or-
 phana, Mosen,*

*Qualis Idumaeus gemit Jorda-
 nus; ut altos,*

*Mæsta Sarepta, polos scindentem
 flevit Eliam.*

*Candida Relligio, castus pudor
 aethere mentem*

*Evexêre: colit famam mare,
 Tyrnava corpus.*

Ad Lectorem :

*Nix, rosa, bulla, vapor, fulgor,
sonus, aura, pruina,*

*Vita est; sic telum, nubila sic
fugiunt.*

*Exue vana, brevis perpende no-
vissima vita,*

*Fac pia, disce DEO vivere, disce
mori.*

Scriptit Forgachius Historiam Un-^{Scripta ab}
 ricam, quam laudat Petrus de Réwa,^{illo.}
 quæ tamen lucem publicam non vide-
 rit; quemadmodum nec aliud opus
 quadripartitum, *de compeſcenda here-
 tiorum petulantia.* In cujus prima
 parte docet, quomodò colloquium
 cum hæreticis sit habendum; In se-
 cunda refellit ea, quæ sub specie pacis
 sibi fuerunt proposita; In tertia de-
 clarat, quibus notis hæreticus à Ca-
 tholico discernatur; In quarta, quâ
 ratione hæretici cum fructu sint coër-
 cendi. Celebravit etiam Synodum
 magnò Ecclesiæ emolumentò Tyrna-
 viæ, in qua leges Clero proficuas sta-
 tuit. Crebras ad eum mittebat lite-
 ras magnum Ecclesiæ lumen Cardina-

lis Bellarminus, & Nicius Erithræus Nobilis, ac literatus Romanus. Fra-

*Frater ejus
Sigismundus cum
Catharina
Palfia con-
juge fit
Particeps
omnium
meritorum
Societatis.*

ter Francisci Sigismundus paribus studiis, laboribus, ac benevolentia complexus Societatem, hujus omnium meritorum, cum Catharina Palfia conjugē suā effectus est particeps. Quam quidem rem omnibus mundi thesauris anteferebat. Creatus Regni Ungariæ Palatinus seu Prorex, in Comitibus Posoniensibus Annō 1618. Jesuitarum causam contra hæreticorum machinationes, obtrudentium decreta annorum 1606. & 1608. non secus, ac propriam acerrimè defendit; cui proinde, fratrique bene sit.

P E T R U S
P A Z M A N U S,
S. R. E. CARDINALIS,
Archi-Episcopus Strigoniensis.

*Natalis, &
genus Petri
Pazmani
paternum.*

Petrus Pazmanus de Panasz, illustre quondam futurum Pannoniæ decus, primam lucem aspexit Varadini, urbe superioris Hungariæ munitissima IV. Nonas Octobris, die cultui S. Francisci Seraphici sacro, annō reparatæ salutis 1572. Patre Nicolao Paz-

ma-

mano de Panasz è vetusta Comitum, non quidem Bibanensium, (uti Josephus Eggs in sua Purpura docta existimavit, cum hocce Comitum genus Ungaris ignotum omnino sit) sed Pazmaniorum, vel uti veteres annalium scriptores sæpe meminerunt, Hunt pazmaniorum stirpe. Quam secutus opinionem vir non minus eruditus, quam religiosus P. Gaspar Drusbicki è Societate JESU Annò 1657. in libri sui, quem *JESUM passum* inscripsit, epistola nuncupatoria, ad Illustrissimum Dominum Comitem Nicolaum Pazmanum de Panasz, S.C. Regiæque Majestatis Consiliarium intimum, & Cubicularium, Petri, de quo scribere ordimur, ex fratre Georgio nepotem, hæc habet: *Addidit præterea mihi stimulum, tuorum Comes Illustrissime majorum tam per antiqua, quam recentior claritudo, & multa, & magna. Nam quid Hungaria Regnum habuit unquam Stephano Rege, vel ob Christianam Sanctitatem, vel Regiam magnificentiam gloriosius? jam tunc tamen Pazmanica familiae Procerem, reperio eidem Stephano militaribus suis copiis auxiliantem, & virtutibus suis in aula ejus*

*radiantem. Jam verò quid habuit
 Ungarica Corona Matthiâ Corvino Re-
 ge, quâ domi, quâ foris, quâ bellô, quâ
 pace illustrius, atque rarius? apud hunc
 Andreas Pazmanus ob virtutem deli-
 cium, ob fidem oculus, ob res gestas gra-
 tia Princeps fuisse memoratur. Pos-
 sem his addere Stephanum Pazmanum,
 Regi suo Carolo, ob fortitudinem belli-
 cam imprimis charum. Possem &
 Joannem Pazmanum cum Nicolao filio
 Petri Cardinalis progenitore &c. Quæ
 omnia jure quàm æquissimo conve-
 niunt Nicolao Petri genitori. Ma-
 trem habuit Margaritam è Tholdio-
 rum familia, & ipsam nobilitate cla-
 ram, utpote (Philippo Alegambete-
 ste, de Scriptoribus Societatis JESU)
 ex Italicis Massæ Marchionibus, in
 Pannoniam jam olim connubiô trans-
 gressis ortam. Tam illustri genere
 adolescentem quis unquam in Unga-
 ria, quin usquam vidit, aut auditione
 accepit, applicuisse animum ad au-
 gendam declamationibus ad popu-
 lum Calvinî sectam? & hâc causâ *To-
 gati*, ut dici solet, personam gessisse,
 ac Germaniam, atque A catholicorum
 Gymnasia oberrâsse? Itaque Pe-
 tri*

*Ejusdem
 genus ma-
 ternum*

*Nicol. Ist-
 vanff. Hst.
 lib. 9. ad an.
 1527.*

tri natales nobis tacentibus fatis, su- *Calvinianarum de Pazmano fabula refellitur.*
 pérque refellunt inconcinnam nostra-
 tium Calvinianorum fabellam, narran-
 tium: Pazmanum discendorum pro-
 biùs Calvinianorum dogmatum gra-
 tiâ, exterâs A catholicorum scholas
 cum Adalberto Molnâr adiisse, &
 cùm redux in Patriam Adalberto à
 Calvinianis posthaberetur, irâ incen-
 sum Romanam Religionem professum
 esse. Sed & Petri per omnem vitam
 studia, ac Provinciæ, & Oppida, in
 quibus degebat, à Patre Dobronoki
 Societatis JESU, ejus in familiaritate
 quinque supra vicos annos, ut ait,
 versato, & arcanorum conscio cura-
 tiùs adnotata commentum hocce re-
 fellunt. Si Dobronokio, uti debe- *Ejusdem*
 mus, fidem habemus, Petrus, ubi pri- *studia, in-*
 mum per ætatem licuit, bonis artibus, *gressus in*
 ac morum civilitate imbuendus tradi- *Soc. JESU*
 tur Claudiopoli, non Græcii, Mo- *officia in ea-*
 deratoribus de Societate JESU; cùm *dem.*
 tunc in Ungaria rari admodum repe-
 rirentur ob virus hæreticorum passim
 jam diffusum. In Dacia Patrum So-
 cietatis JESU familiari consuetudine
 usus, eorundem ordini adscribi petiit,
 cùm annum septimum decimum vitæ
 non

non excessisset. Idem habebant in votis Georgius Forró, Stephanus Szalai, Franciscus Kórósi, & Szulok, Petri condiscipuli, ac omnes voti damnati Cracoviam, ubi Religiosæ vitæ fundamenta jacerent, petiére. Exactò bienniò cum Polonicum cœlum minus ad valetudinem Petri faceret, Viennam Austriæ, indelapsò trienniò Romam severiorum disciplinarum gratiâ se contulit; illic è Guilielmo Wrigtho natione Anglo Philosophiæ; hic ex Gabriele Vasquez, & Gregorio de Valenzia Theologiæ arcana, magna Ingenii, & sedulitatis commendatione perdidicit. Itaque præter Calvinianos, errore lapsi sunt, tum qui Petrum post Philosophiæ, & Theologiæ studia Religioni nomen dedisse arbitrabantur; tum qui Græcium ad Ingenuarum Artium studium Varadinò translatum scripserunt. Provinciæ redditus, ac subinde publicis admotus Cathedris, in Universitate Græcensi, & Philosophiam, & Theologiam cum dignitate, omniumq; plausu sustinuit. His ad amissim gestis, eò vires, nervosque intendit omnes, ut gentilibus suis in Ungaria hæresum erroribus mi-

se-

ferè intricatis, pro virili opem ferat. Nec morantur pia consilia Moderatores, in patriam proficisci jubetur; ubi positâ Doctoris personâ, totum se Apostolicis addicit missionibus, nullâ sede stabili: in primis tamen Magnatû toxicô Lutheri, Calvinive afflatorum se insinuabat aulis. Probè gnarus, si hos ab erroribus reduxerit, proclivior fore vulgi medelam, quod exemplô Procerum se trahi facilè finit. Nec eum spes fefellit sua. Nam aliquot annorum indefesso labore, quâ è superiore loco verba habendo, quâ privatim de rebus fidei sermones gravissimis rationum momentis firmatos instituendo, quâ libros solidissimæ doctrinæ in lucem edendo, ac per Regnum spargendo: triginta, & eò amplius è prima Ungariæ nobilitate familias ad gremium Orthodoxæ Religionis reduxit, incredibili bonorum omnium applausu, & gratulatione. Franciscus certè Forgachius Cardinalis, & Strigoniensis Archi-Episcopus, vix se præ gaudio capere potuit, dum certis cognovisset nunciis, fratrem suum Comitem Sigismundum Forgachium (in quo ad saniora re-

*Ejusdem
missiones
& conversiones
hereticorum.*

ducen.

*Sigismund.
Forgach ad
fidem redu-
cit.*

*Cardinalis
Forgach
magni assi-
mat Paz-
manum.*

ducendo, ipse triennii assiduum labo-
rem incassum perdidisset) Patris Pe-
tri Pazmani Apostolicâ dexteritate,
trium hebdomadarum decursu, ad
Catholicæ veritatis agnitionem, &
amplexum unâ cum tota Domo sua,
adductum esse. Suspiciebat quidem
etiam antea Cardinalis Pazmanum,
& pro eo, ac merebatur ob singula-
rem doctrinam, prudentiam, cæte-
râque animi ornamenta reverebatur;
at deinceps intimiore sibi junctum
affectu colebat, consiliis ejus sapien-
tissimis utebatur, nec ferè aliquid gra-
vioris momenti in regimine Archi-
Episcopatus Strigoniensis statuit, eò
inconsultò quoad vixit. Documento
sit, quòd dum Synodum Provincia-
lem Tyrnaviæ haberet Annò 1611.
Pazmanum, & Patrum congregato-
rum cætui interesse voluerit, & acta
synodalia pro Præposito Turociensi
ab eo subscribi. Hæc cum per Un-
gariam pene universam essent notif-
sima, tandem ad ipsum etiam Mat-
thiam Imperatorem, & Ungariæ Re-
gem, quanquam extra Regnum Pra-
gæ residentem, pervaserunt. Quare
è vivis sublatò Franciscò, quem dixi-
mus,

mus, Forgachiô Archi-Episcopô Strigoniensi, unanimi Primorum Regni consilio actum est, ut in defuncti locum Pazmanus subrogetur, utque labanti in Ungaria Orthodoxæ Religionis humeros supponat, quibus nullos totô Regnô magis idoneos, magis oneri pares esse cognoscerent. Actum cum Matthia Rege; jam eximiarum Pazmani dotum haud ignaro, ideóque ad annuendum postulatis profus inclinato. At obex intercedit, Pazmanus dignitati jamjam imminenti se subtrahit, disertè contestatus, sibi integrum non esse Prælaturam Ecclesiasticam assumere, vidente id Sacramento, quô se homines Societatis JESU quatuor vota professi peculiariter obstringerent. Recursum itaque tum Regis, tum Hungariæ Statuum nomine ad Sedem Apostolicam, & quæ petebatur dispensatio à Paulo V. Pontifice Max. non gravatè conceditur.

Defunctô Forgachib Ungari petunt à Matthia Pazmanum Archi-Episcopum Strigoniensem.

Dispensat Pontifex, ut egrediatur ex religione.

Non sum nescius posse cuiquam hæc legentium in mentem venire vetus illud, & quandoque inter cœnam, & pocula etiam spargi solitum inane commentum, quô asseritur Petrum Pazma-

Non est am-
 plexus Paz-
 manus ali-
 ud institutu-
 tum ante
 Archi-Epi-
 scopatum.
 In Albo Uni-
 versitatis
 Tyrnaciens-
 is sua insi-
 gnia pingi
 ipse voluit,
 & subscri-
 psit: ubi
 infra Car-
 dinalitia, est
 Soc. JESU
 insigne.

Pazmanum priusquam ad Strigoniensem assumeretur Insulam, Societati JESU renunciâsse, & alteri familiæ Clericorum Theatinorum se addixisse: ipsis Patribus Societatis id enixè rogantibus, ne in exemplum transiret, quò illius professionis sectatores Episcopatus acciperent. At hujusmodi fabella, vel ex invidia, vel ignorantia, vel certè vulgi popularibus verbis ortum traxit. Nam præterquam quòd ejusmodi assertum nullâ nitatur ratione, quæ tantum virum Societati eripiat, eumque tantæ levitatis, ac inconstantia convincat; ipsemet Petrus jam Antistes Strigoniensis, & sacro adlectus Senatui, nunquam se aliter, atque *Filium Societatis JESU* nominavit, publicèq; tum in congressibus, tum in literis fassus est, se unum esse è *Societate JESU*. Id quod Ciaconii continuator Oldoinus pariter ex ipsius ore in hæc verba confirmat: *Certè Cardinalis (Pazmanus) quando Romæ fuit, non solum Patribus Societatis JESU, sed aliis etiam omnibus ipsemet liberè affirmavit se è Societatis JESU Ordine ad Archi-Episcopatum Strigoniensem;*

ensem, atque inde ad Purpuram in-
zum esse assumptum. Quod profe-

ctò vir prudens, ac pius non affirmâs-
 set, si alterum Clericorum ordinem,
 vel per horam professus fuisset; ma-
 ximè probè gnarus, ac instituti sui ad-
 modùm peritus, non repugnare So-
 cietatis JESU Statutis, ut Professor
 illius, dignitates Ecclesiasticas etiam
 eminentiores, mandante Summo Pon-
 tifice recipiat. Exemplo sunt Fran-
 ciscus Toletus, & Robertus Bellar-
 minus Cardinales, clarissima duo So-
 cietatis JESU quondam lumina, qui
 Pazmano primi è Societate JESU ad
 Purpuram præluxerunt. Imò cùm
 adest Vicarii Christi præceptum, te-
 netur Professor, jussis in bonum Ec-
 clesiæ tendentibus parere: uti vidi-
 mus nuper factum, dum R. P. Joan-
 nes Ptolomæus necquicquam (quo-
 ad licuit) honorem declinans, Vati-
 canorum Patrum Collegio, mandante
 D. Petri Successore, accedere debuit.
 Certè Societas universa Petrum no-
 strum, ut suum alumnum agnoscit,
 eundémque inter primarios sui insti-
 tuti scriptores, & Cardinales recen-
 set,

Q

let. Sed jam eò, unde digressi fuimus, redeamus.

*Matthias
offert Paz-
manum Archi-
Episcopatu.*

Annò à partu Virginis 1616. ne post fata Francisci Forgachii Cardinalis, & Archi-Episcopi Strigonienſis, Sedes Archi-præſulea cum detrimento Eccleſiæ Ungariæ diu vacua perſiſtat, rebus omnibus ad id neceſſariis bene compositis, allatâque diſpenſatione Pontificiâ, quâ Paulus V. eximit Pazmanum ex Societate, & facit capacem dignitatum, R. P. Petrus Pazmanus Tyrnaviâ Pragam à Matthia Imperatore evocatur. Benignè à Principe excipitur, Archi-Episcopatum Strigonienſem, ſibi oblatum, at certis quibusdam conditionibus cum Camera Hungariæ ineundum, non illico acceptat. Et meritò, nam Fiſci Regii Curatores arbitrati hominem religioſum tenui victui, ac domesticæ ſupellectili aſſuetum, facile ex proventibus ampliffimis Eccleſiæ Strigonienſis multa ceſſurum in uſus profanos, ſub titulo neceſſitatis publici boni, longum ei exhibent catalogum, quibus ante inaugurationem ſubſcribere deberet; at Pazmanus animò imperterritò repoſuit, ſe ne unum qui-

quidem teruntium è patrimonio Christi cessurum, quin & ea, quæ hactenus viis æquitati non satis consonis abalienata sunt (id quod fideliter suo tempore executus est) recuperaturum, vel certè repetiturum. Hæc, inquebat, Cæsari referte: & si responsum displiceat, Archi-Episcopatum ei conferat, qui hujusmodi postulatis assentiatur. Matthias recognitâ, tantum abest, ut mentem mutaverit, ut etiam Pazmani constantem animum collaudaverit, ac ne deinceps ei, arario Præfecti, ullum faceffant negotium, vetuerit. Die tandem 28. Septembris in confertissima utriusque nationis Procerum corona Archi-Episcopum Strigoniensem nominat, & eodem mense, præmissa jam cursore, Paulo V, Papæ pro confirmatione præsentat. Multa gratulatio honorum omnium Matthiæ voluntatem providam, & Pazmani nomen consecuta; in qua Valentini Lépes Episcopi Nitriensis libellum: *lucidum speculum mortalium judicandorum*, ei inscribentis eloquentia excelluit.

Dum Archi-Episcopale Pallium Româ expectat, rursus quæsturæ admi-

Q 2

mini-

*Pazmanus
recusat Ar-
chi-Episco-
patum, nisi
cum omni-
bus juribus,
& proven-
tibus detur.*

*Questura
Admini-
stros iterū
rejecit.*

nistri, ut ex Archi-Episcopali censu in commoda militiæ quidpiam carpatur, instabant; rursus Pazmanus magna libertate hoc onus abs se removet. Habemus plenum sapientiâ, & spiritu ad hæc responsum, quod sequenti deprecatione concludit: *Quamobrem Majestatem suam Sacratissimam iterum, iterūque demissè rogo, ne me ullis insolitis gravare velit oneribus, sed hoc ad cumulum suæ in me gratiæ adjiciat, ut omnes intelligant, Majestatem suam me ad hoc Ecclesiasticæ dignitatis fastigium non idcirco evexisse, ut insolitis oneribus oppressum iret, sed ut suam Regiam in me munificentiam, & in Ecclesiam Hungaricam providentiam testatam faceret.*

Allatum Româ Pallium per Henricum Derlaye Præpositum Ecclesiæ S. Mauritii Moguntinum 19. Decemb. induit, & iterum à Valentino Lépes, opusculum de Cælo, & inferno, suo honori inscriptum benignè acceptat.

*Pazmani in
Archi-Epi-
scopatu pri-
vati labores.*

In Ungariam rediens, nihil prius, aut antiquius habuit, quàm Clerum suæ commissum curæ stabilire, aut sicubi foret necessum, reformare, modisq; omni-

omnibus augere: Hæresim è Regno extirpare, ad id remedia idonea providere. Et primum quidem Comitem Stephanum Palffy, Posoniensis Provinciæ Præfectum, quòd sacratum non esset, à Posoniensi Præpositura removet, eamque in Thomam Balassy Episcopum Bosnensem transfert: Cremnicienses Cives (nescio quid fori occasione in jura Archiepiscopi peccarant,) per Sigismundum Forgách Judicem Curiaë coërcet. Mox adversus Matthiam Herovicium, nomen Electi Episcopi Csanadiensis, jam ab Anno 1608. & Albæ, quam Regalem vocant, Præpositi census temerè usurpantem, jura Archiepiscopi asserit coram Nuncio Apostolico, docens: ad se pertinere, in quem vellet fundos Albensis Præpositi conferre, quos Herovicus suo Nepoti etiamnum scholari destinabat, & à Petro Domitrovich Episcopo Zagrabienfi, hoc in proposito confirmabatur. Inter media ad extirpandam hæresim idonea, non postrema esse existimabat Societatis JESU Ordinem per Regnum propagare: scholas erudiendæ in literis, & morum probitate

Ungaricæ juventuti erigere: Seminaria ex præscripto Concilii Tridentini, tum pro Clericis, tum sæcularibus construere, ac dotare. In iis designandis dum animum occupat, antequam fato cederet Matthias II, Ungariæ Rex eò conatus omnes intendit, ut successor talis eligatur, qualem præsens calamitosus, hæresibusque contaminatus Hungariæ status exigeret. Ante omnes autem occurre-

Sædet Ferdinandus II, electionem Hungaris,

bat Ferdinandus Caroli Archiducis filius, Ferdinandi I. Imperatoris nepos, ac Rex Bohemorum, jam tum singulari in Deum pietate, Orthodoxæ Religionis propagandæ studiò, aliisque virtutibus insignis. Ideoque operam omnem eò Pazmanus impendit, ut hic (perruptis omnibus difficultatum obicibus, qui nec pauci erant, nec parvi) in throno Ungariæ collocetur. Res ex voto cessit; nam annò 1618. die primo Julii communi omnium Regni ordinum voto eligitur, atque ab Archi-Episcopo Strigoniensi Pazmano, vi privilegiorum suæ dignitati ab antiquo competentium, solenni ritu Posonii Rex coronatur,

Ne verò rem tanti momenti, tantique Principis sterilibus duntaxat verbis attigisse videamur ; operæ pretium fore existimavimus , si coronationis seriem paulò uberius, ex Petro de Reva, curioso proponamus Lectori. Primùm omnium congregatis Regni Statibus visum est , sine mora , in locum defuncti Comitis Georgii Thurzonis Hungariæ Palatini, novum eligere ; cùm coronatio Regia præter Archi-Episcopum Strigoniensem , qui primas in hac functione obtinet , etiam Palatini præsentiam requirat. Fit is unanimi Procerum voluntate, Comes Sigismundus Forgachius , qui ante paucos annos à Pazmano (uti suprâ relatum est) etiamnum Societatis JESU Sacerdote , ad orthodoxam religionem fuerat auspicio felici reductus. Illucescentibus Calendis Julii, horâ quintâ matutinâ primæ dignitatis Proceres ad Palatinum confluunt , ad arcem pro levanda , ac de deportanda sacra corona profecturi ; quâ ad templum Collegiatum S. Martini delatâ, pro debita in sacrum pignus reverentia Comes Christophorus Erdódius, Sigismundus Rakoczius , Michaël

*Ferdinandæ
II. Regis
Hungariæ
coronatio,
& ritus coronandi Reges Hungariæ.*

chaël Karolius, & Sigismundus Præpostvarius, ii nimirum, qui eam ex gazophilacio ad currum splendide ornatum detulerant, detectis capitibus sacristiæ, ut dicunt, intulerunt. Ad mensam pone majorem aram collocatam, regium D. Stephani paludamentum, aliæque indumenta, per Benedictum Pakaium Personalem, & Moysen Czirakium, Petro de Réva præeunte, sunt deposita, decem Regnorum vexillis ad portam sacrorum interea pendentibus. Ut septima affuit hora, Rex electus templum ingreditur inter festivos tubarum, tympanorumque sonitus, præcedente Palatino, cæterisque per ordinem Magnatibus. Progressus porrò è sacristia ad Thronum, præeuntes habuit decem Proceres, totidem Regnorum vexilla manu ferentes; & quidem vexillum Hungariæ Comes Nicolaus Ezterhasius, Comes Paulus de Nadasd Dalmatiæ, Comes Georgius Széchius Croatiæ, Comes Christophorus Erdödius Sclavoniæ, Comes Emericus Thurzo Ramæ, Comes Georgius à Zrinio Serviæ, Christophorus Banffius Haliciæ, Sigismundus Rakoczius Lodomeriæ,
Ca-

Casparus Illyesházius Cumaniaë, Michaël Karolius Bulgariaë gestârunt; hos ponè sequebatur Palatinus sacraë coronæ bajulus: sceptrum porrò Nicolaus de Frangepanibus, gladium evaginatum Franciscus de Battyán, pomum aureum Georgius Homonnaius, gladium S. Stephani in vagina reconditum Andreas Dobsius, Crucem auream Stanislaus Thurzo, præ-tulerunt. Tum electus ex Throno ad Altare processit, & flexo genu super pulvillum holosericeum præstolabatur, dum Petrus Pazmanus Archiepiscopus Strigoniensis cæremonias ordine præscripto peragit. Dein finitis Litanis supremus Cubicularius Regiam vestem paululum reducit, Archiepiscopus verò unctionem ritè peragit, illicóque Rex paludamentò S. Stephani Regis indutus, ab Archiepiscopo Colocensi, itémque Regni Cancellario comitatus ad Thronum reducit, eique post lectam ad aras Epistolam, evaginatus Divi Stephani Regis gladius traditur. His actis Palatinus in summo altaris gradu consistens, acceptâ coronâ ad præsentem Regni Ordines conversus, an Electum

coronari velint? interrogat: cum tertium interrogasset, eorumque unanimem coronandi voluntatem ex edito clamore intellexisset, Regium Diadema Archiepiscopo Strigoniensi in manus tradit, quod is Augusto Ferdinandi vertici reverenter imponit. Tum Nobilitas Hungarica viso jam coronato Rege, in faustas erumpit apprecationes, ingeminando: vivat Rex! vivat Rex! Hymnus Ambrosianus solennitatem omnem concludit, ac demum festo tormentorum bellicorum, ex arce sonitu applausus datur. Recens coronatus Rex conscensum equum regium aureis, gemmeisque ornamentis fulgente, in arcem se confert, comitante, ac tripudiante tota Regni nobilitate. Hæc dicta sunt de coronatione Ferdinandi, in qua post Regem primam sustinuisse vidimus Pazmanum, iisdem ritibus inauguratus est per omnia Patri similis filius, & Princeps Ferdinandus III, per Petrum nostrum annò 1625.

*Ex Sacris
Conciliis
Hungaria.*

Miscente civilibus armis Hungariam Bethlenio, cum cæteris Episcopis Annò 1619. variis in locis latitabat, plurimum tamen Ferdinandi lateri

ri adhæsit, & idcirco à Neosoliensibus Comitibus Annò 1620. proscribitur. Depulsis Ujvarinò Bethlenii affeclis, iterum pro Archi-Episcopali censu in quæsturam Annò alterò supra vicesimum Petro dimicandum fuit: Ut militem Ujvarini Præsidio destinatum suo ære aleret, petebant. Pluribus apud Ferdinandum docuit, id abs se peti non oportere. Cætera inter, eam in rem scripserat: *Quia Archi-Episcopum Strigoniensem Reges Hungariae semper hucusque pro Patre agnoverunt, & literis suis hòc titulò honorarunt: ea propter obligatum me esse sentio, ut anima sua, & conscientia Regis optimi curam habeam. Cùm igitur clarè mihi compertum sit, bonâ conscientia suam Majestatem non posse impositam Ecclesia meâ pensionem exigere, debui ex officio Regiam Majestatem admonere, ne coram DEO se se oneret, quod, ut constet, non nisi fundamento dici, & reliqua.*

*Iterum
quæstura
administratos
rejecit apud
Ferdinandum.*

Coaluerant Sopronii comitia, his *Reginam* interest, & quo nuper Ferdinandum *coronat.* apparatu, Eleonorâ Diademate incingit. Finito Regni conventu parœcias lustrat, & à face per Bohemos illata

repurgat. Jussu Gregorii XV. in restituenda disciplina, & everfis per hæreticos Monasteriis Minorum S. Francisci de Observ. Hieronymū Strasserum Generalem Commissariū adjuvat. Orta est Controversia cum Joanne Telegdi Archi-Episcopo Colocensi de usu pallii; nam Joannes in Nitriensi Episcopatu, quem administrabat, palliō utebatur. Quæsitum Romæ, an jure id faceret in Provincia Strigoniensis Jurisdictionis? cū responsum esset: invitō Metropolitā id non faciendum, Pazmanus dies designavit, quibus Telegdius palliō uti posset. Thomas Balásfi Præpositus Posonienfis diem suum obierat; ne Ferdinandus ei sua voluntate quemquam sufficiat, Sanctum Principem monet: *Ab sit, inquit, ut ego ulla in re jus Regale imminutum velim; quin potius ex animo cuperem collationem hujus Præposituræ ad Majestatem Vestram pertinere potius, quàm ad me: hac enim ratione minor apud DEUM ratio reddenda esset; sed ut obligationi meæ satisfaciam, Jus Archi-Episcopi Majestati Vestræ suggerere debui.* Eodémque die Paulum David Tiñiniensem Cano-

*Jura Archi-Episcopi
tuetur, &
varias lites
dirimit.*

nicis præponit. Quidam Ferdinandum, hortabantur, ut Pazmanô vivis ereptô, quod non diu eventurum credebant, census Archi-Episcopales in Fiscum inferantur, nullo interea nominato Successore, ne exemplô Pazmani Successores omnia in domos pauperum, Domicilia Religiosorum, Ecclesias, aliâque id genus errogando, Regibus quæstum intervertant. Hoc molimine intellecto Pazmanus confecit sinè mora opusculû aurô dignum, cedrôque, cum titulo: *Graves, & justa causa, quæ meritò permovere debent Majestatem Vestram, ut nunquam Archi-Episcopatum Strigoniensem vacare permittat.* Quô oblatô magnam apud Cæsarem gratiam inlit. Audierat multa declamari in Aula, quæ Jura Regum Hungariæ in collatione Episcopatum feriebat, sex quæstiones excitavit, quas acerrimô ingeniô, ut erat, reverentia tamen pari dissolvit, & Regi Sellyâ submitit. In Romana quoque Aula Regum Ungariæ Jus Patronatûs in Episcopatus, eruditissimô scriptô, testimoniis è Jure Pontificio, patrio, & usu sæculorum stabilivit. Titulares, qui postea in
con-

controversiam ceciderant, Episcopatus, pari eruditione Regibus nostris afferuit. Ut templa Modræ, Bazinii, & Sancti Georgii oppidis vi errepta Catholicis redderentur, Regem permovit. Sacerdotium Sancti Gothardi redimit, & unâ perfecit, ut pientissimus Rex Ferdinandus Diplomate sponderet, nunquam admissurum, ut deinceps bona Ecclesiastica pignori opponantur, aliterve alienentur. Censum pecuniariæ summæ apud Hamburgenses ad fœnus depositæ, in Parochos Diœcesis Strigoniensis egestate laborantes transfert. Consulturus pariter egentium studiosorum comodo, Tyrnaviæ domum suo ære comparat Vankerianam, in qua sub cura Patrum Societatis JESU juvenus mediis vivendi destituta habitaret, mensamque congruentem munificentiam Pazmanianam haberet. Sed initia tantum erant studii, promovendarum aliqua ope literarum. Mox majora molitur, & efficit: Viennæ Austriae Collegium Clericorum, quod à suo nomine Pazmanianum dici voluit, sub annum salutis 1623. Regiam propè munificentiam condit, amplissimisque proventibus annuis do-

*Pazmanus
Seminarium
molitur.*

tat, regimini Societatis JESU con-
 credit: eâ salubri sanè, ac perneces-
 sariâ intentione; ut illic animarum
 Pastores succrescant, & adolescant
 in Ungariam identidem submittendi,
 ad supplendum incredibile defectum,
 ac paucitatem Curionum, partim suæ
 Archidiœcesis, partim aliarum; è
 quibus annò superiore, dum severio-
 rem curâsset institui visitationem,
 complures, aut ob nimiam rerum
 scitu necessariorum ignorantiam, aut
 vitæ, morumque perversitatem, ac
 nefarium concubinatum eliminave-
 rat. Et verò secundavit vota beni-
 gnum Numen: nam sensim viri præ-
 clarissimi virtute, ac omnigeno sci-
 entiarum genere, velut ex Trojano
 equo illinc prodierunt, ac hodie dum
 succedunt: inde tot Canonici, Epi-
 scopi, Archi-Episcopi, quos velut Reli-
 gionis Catholicæ incunabulis eductos
 vidit, ac in præsentis suscipit Hungaria.

Singulorum meminisse integrum
 cum non sit, unum pro multis nomi-
 nasse sufficiat, Celsissimum, ac Re-
 verendissimum Principem Georgium
 Szécsénium è primis Domicilii illius
 Alumnum, deinde ut nos, majorésq;
 no-

Georgius Szécséni è primis Coll. Pazmani-ani Alum.

nostri viderunt, Archi-Episcopum Strigoniensem magni conditoris non tantum in Sede successorem, sed & largissimum in pias causas æmulatorem. Sed nos ad Pazmanum; qui post paulò Posonii sanctè prospexit, ut sacrum Christi Corporis viaticum decentius, majorique cultu (non sinè fremitu heterodoxorum) ad ægrotos publicè deferatur. Et cum videret plurimis hunc cultum Eucharistici panis vehementer probari; etiam Tyrnaviam annò eòdem induxit, comitantibus linteatis juvenibus; utrobique stipendium perpetuò duraturum constituit. Annò insequentì 1626. Societati JESU Collegium, juventuti Ungariæ Gymnasium Posonii erigit, redditibusque annuis liberalissimè cumalat.

*Pazmanus
Posonii, &
Tyrnavie
publicam
ad agros
Eucharistia
delationem
instituit.*

*Synodum
Tyrnavie
celebrat.*

Illud illustrius, omninòque necessarium: annò Verbi Incarnati 1629. Synodum Provinciale Clero Hungariæ in diem 4. Octobris Tyrnaviam indicit, in qua princeps ejusdem curæ fuit, ut sacri Concilii Tridentini statuta de moribus præcipuè reformandis in praxim deducerentur: quod ut efficaciorum fortiatum effectum, ipse quo

quoque concordi congregatorum Patrum assensu, saluberrima sancivit decreta; quæ videri possunt in actis ejusdem Synodi, Tyrnaviæ typis vulgaris. Dum huic Pazmanus insudat labori, Ferdinand. II. Imperator agit apud Pontificem Romanum, ut is in præmium tam solertis in Ecclesia curæ, ac sollicitudinis, sacro Purpuratorum Ordini adnumeretur, quod & impetrat ab Urbano Papa VIII. die 9. Novembris ejusdem anni 1629. Sub idem tempus animadvertens Tyrnaviæ S. Nicolai Templum (quod pro Metropolitanano utitur Archi-Capitulû Strigonienſe) vitium fecisse, ut pristinae firmitati, ac decori restitueretur, impendiô quatuordecim propè milliû florenorum, effecit Annô 1631. Haud minori sumptu eodem tempore (ut erat in omnem divini cultûs promovendi occasionem, modumque intentus, ac pervigil) Ersek-Ujvarini oppidô, ut nomen ipsum declarat Archi-Episcopalis ditionis, templum, & cœnobium Franciscanæ Religioni ædificavit, eô, inter alia argumentô adductus, quia die D. Francisco Seraphico sacro natus sit.

Ferdinand. II pro Cardinalatu Pazmani laborat.

Templum Tyrnaviæ S. Nicolai reparat.

Ujvarini Franciscanis ædificas.

*Paxmanus
pro galero
Cardinali-
tio, & Le-
gatus Cæsa-
reus profici-
situr Ro-
mam.*

Rubrum galerum Cardinalitiæ dignitatis insigne à Summo Pontifice accepturus Annô 1632. Romam proficiscitur, apparatu splendidissimo, Primatêque Hungariæ digno, eoque mense Martio feliciter appellit. Urbem ingressus est equestri cum pompa, ducens secum ducentos quinquaginta nobiles Hungaros, exquisito, pro more gentis vestitu indutos, generosis equis, aureis insidentes (ut refert Oldoinus) ephippiis, jucundum sanè spectaculum toti Romanæ Urbi exhibentibus. Ab Urbano Cardinalis humanissimè exceptus, insignia, & titulum S. Hieronymi Illyricorum cum splendore in Aula ducali obtinuit. Multa passim referuntur de ejus, dum Romæ moraretur, insignibus gestis, quæ hic, ut brevitati consulatur, omitimus. Cæterum dum Romanum in Hungaria iter pararet, Viennam digressus, à Ferdinando Imperatore in commissis acceperat, ut eâdem (ut ajunt) fideiâ, ac fatigiô, suo nomine, ut Legatus cum Pontifice ageret de fœdere inter Principes Christianos contra Turcam ineundo, deque subsidiis ad tantum belli apparatus necessa-

*Ingressus
ejus in ur-
bem, &
acta.*

sariis. Negotium difficultati obnoxium erat, quòd Pontifex indignum arbitraretur, ut Cardinalis, sæcularis Monarchæ Legati munus obeat. Non destitit tamen Pazmanus, quoad potuit, remurgere, ternis ad Pontificem habitis orationibus perquam elegantibus, quæ etiamnum in scriptis superstites asservantur, idque demum effecit, ut post suum Româ discessum, Pontifex, ne Cæsarem offenderet, circa decimas anticipando exigendas, & Imperatori pro belli continuatione transmittendas, eò prorsus modò, quò Cardinalis Pazmanus proposuerat, constituerit.

Cum Pontifice ob Legationem controversam habet.

In Hungariam redux benignè à Cæsare receptus fuit, illiusque operâ, & consiliò usus est cum emolumento, præsertim Hungaris rerum novandarum cupidis in officio retinendis, quam provinciam ille obire, & Ecclesiæ præesse simul commodè poterat. Quoniam verò in iter Romanum magnum sumptum impenderat, Imperator ei unò annò cudendæ monetæ potestatem fecit. Scitu dignum est, Petrum nostrum adèd honoris Ecclesiastici tam promovendi, quàm tuendi

Redit Româ.

studiosum fuisse, ut ob eum retinendum cum clarissimo ætatis suæ viro Nicolao Eszterhasio Regni Palatino, gravem habuerit controversiam. Cùm enim Annò 1622. post coronatam Reginam Imperatricem superiore, ac digniore loco confedisset, Prorex sibi hunc deberi existimabat. Hinc dissensionis animorum fomes enatus, argumenta utrinque producta, utrinque declaratum, quid honoris, ac muneris, tum Archi-Episopo, tum Palatino conveniat. Hic potissimum declarabat, Metropolitæ Strigoniensi non deberi ullâ ratione dignitatem Personalis præsentia, ille ex adverso eam mordicè tuebatur, quemadmodum literis mandavit ad memoriam posteriorum in Synodo sua. Verùm sopitum est brevi hoc dissidium, acceptissimum illud quidem hæreticis, qui non modicè gaudebant, duas Regni columnas inter se adedè collidi. Reconciliatis igitur animis, rursus uti solebant, mutuum iniverunt amicitia vinculum, inque commoda Religionis Catholicae invigilabant, dubiùmque inter cætera sua decora reliquerunt, uter plures

1622. *Controversia
habet cum
Palatino de
preceden-
tia.*

res ad gremium S. Matris Ecclesiæ er-
rantes filios reduxerit.

Missis aliis, nunc præcipuam ejus *Condit Univer-*
laudem exequimur. Vicit An. 1635. *sitatem*
suammet ipsius munificentia Eminent- *Tyrnaviensi-*
tissimus Princeps, dum incredibili li- *sero.*
beralitate, ac pene Regiâ, Universita-
tem studiorum Tyrnaviæ fundavit.
Hoc unum scilicet deesse videbat
Hungariæ sapientissimus Antistes, quò
Religio Orthodoxa in Regno stabilia-
tur, ut in solo habeat suo sedem
omnium bonarum artium, ac potissi-
mùm Philosophicarum, ac Theologi-
carum, ad quas perdiscendas hætenus
magnis sumptibus, itinerumque di-
spendiis Ungarica juvenus, sacris de-
stinata functionibus, animarum sensim
succenturiandi Pastoribus, ad exteras
mittendi erant Regiones, & id, quod
domi deerat, aliunde precariò petere,
ac quærere cogebantur. Natalis re-
cens ortæ Universitatis dies ter fausta, *Modus in-*
térque felix fuit 12. Maji mensis floridi, *stituta Aca-*
omine haud fallace, floridam quon- *demia.*
dam fore hanc studiorum sedem, flo-
renti non modò adolescentium fre-
quentiâ, sed & Doctorum scholæ Mo-
deratorum insigni doctrinâ celeberrimam;

mam ; quod hisce temporibus læti,
 hilarésque videmus, ac experimur.
 Cæterùm ut memorabilis existeret
 Univerſitatis nativitas, celebritatem
 in hanc instituendam voluit formam,
 ipſe magnus Fundator. Primùm qui-
 dem Nobilitatem Ungaricam penè
 omnem tam Eccleſiaſticam, quàm ſæ-
 cularem, tunc commodùm in Comi-
 tiis Octavalibus, ut vocant, congre-
 gatam, & ante cunctos Nicolaum
 Eſzterhaſium Proregem ad ſolennita-
 tem invitavit : ipſâ deinde luce ſi-
 gnum campanarum ſonitu populo da-
 tum, quò excita omnis conditionis,
 ſexûs, aque ætatis confluit tanta
 multitudo ; quantam ſe Tyrnavia vi-
 diſſe haud meminerat. Sub horam
 nonam ante meridiem, inſigni, ordi-
 natóque proceſſu itum ad Baſilicam
 D. Nicolai, hodie Cathedralem Stri-
 gonienſem. Præferebatur ſceptrum
 Academicum argentò cuſum, aurò-
 que liberaliter ornatum pretii 500.
 florenorum munificentia Pazmanianâ
 donatum. Subſequebatur Rector
 Magnificus R. P. Georgius Dobrono-
 kius cum Senatu Univerſitatis, ſolitis
 magistratûs inſignibus conſpicuo, tum
 ipſe

ipse Eminentissimus Fundator Cardinalitio insignis ornatu, comitante omni, qui convocari potuit Clero, superpelliciis, ut vulgò dicitur, amictu, inter tubarum, tympanorumque festos sonitus, deducebatur. Re Divinâ peractâ, quam ipse Eminentissimus fecit, ab eodem sub purpureo sedente conopæo Rectori Magnifico recens conditæ Universitatis Diplomata Foundationis, ac Cæsareo-Regiæ Confirmationis, Sigillis aureis, atque argenteis munita, sunt in manus consignata. Quibus reverenter acceptis, ad frequentem nobilissimum auditorem habuit cultissimam orationem P. Thomas Jaszberenius è Societate JESU, Facultatis Philosophicæ Decanus, Argumentum dictionis erat loco, ac tempori accommodatum: *Nihil esse præstabilius pro bono, ac salute Hungariæ, Academiarum institutione.* Coronidem imposuit celebritati hymnus Ambrosianus præcinente ipso purpurato Principe: at non ejus singulari in novam Academiam affectui. Nam anno sequenti, ad primam è Logicis Theorematis disputationem invitatus, non modò

comparuit, sed & oppugnandi munus, veteranus in palæstra literaria pugil, assumere non est dedignatus. Res ad posterorum memoriam annalium literis consignata.

Duo præterea ad rem literariam isthic promovendam desiderari observavit Princeps sagacissimus: Bibliothecam locupletem, armamentarium sapientiæ, & Seminarium perpetuò duraturum Nobilis Hungariæ juventutis. Utrique providit, Domum Archi-Episcopalis Bibliothecæ erexit, omni eò librorum thesaurò cumulaturus, qui Budæ à Matthia Rege Corvino relictus, & à Bonfinio Historiographo mirè celebratus fuit; nisi Turcarum, aut ignorantium, aut avarorum mercis æstimatorum licitatio obstitisset: qui triginta florenorum millia accipere detrectârunt. Ferunt hujus locupletissimæ literarum officinæ reliquias, cum Budam Christiani amisissent, ab hoste victore direptam, thecis, ac fibulis magni pretii spoliatam; partem tamen aliquam donarii titulò bibliothecæ Cæsareo-Regiæ Vienneusi illatam esse. Interea tamen hujus defectum suppleturi, duo magni

Bibliothecam curat Pazmanus.

Budensem à Turcis redimere vult.

gni nominis Archi-Episcopi Strigonienses Georgius Lippaius, & alter Georgius Szelepcsénius, multis selectisque codicibus illustrem effecere.

Seminarium pariter (dein Convictus appellatus) nobilium statuit: Domum suam ad id gratuito offerente Joanne Telegdio Archi-Episcopo Colocensi cum duplici horto, & agris, 11. Febr. anni 1637. Palatino Comiti Nicolao Eszterhasio Regniq; Magnatibus, etiam clavibus traditis, ac instrumento literali ea de re confecto Societati JESU exhibente. Proventum annum assignavit Pazmanus è suo montanarum Civitatum proventu, Piseto vocitato, quinque millium florenorum: qui ut perpetuus foret, impeditores sub anathemate cohibitos voluit. Probavit factum Ferdinandus Imperator, & ex suo superaddidit duo florenorum millia. Urbanus verò Papa VIII. non modò factum confirmavit, verùm etiam mirè dilaudavit, uti testatur etiamdum superstes ejus breve Apostolicum Pazmano missum. Recensitis hæcenus Seminariis, adde Clericorum Archi-

*Convictuum
Nobilium
instituit.*

*Seminariū
Strigoniense
auget.*

Capitulo Strigoniensi ad aras deservientium, Stephanitarum à D. Stephano Rege dictorum domicilium, cujus censum majorem in modum auxit An. 1631. imperatâ Præp. Fólhéviziensi, suburbii quondam Budensis; novámque domum erexit, Alumnis ad habitandum, quàm fuerit prior longè opportuniorem. Ultimum Princeps munificentissimus parabat sui erga Ecclesiam Hungaricam, Societatémque JESU affectûs monumentum: jámque tradiderat pro Collegio Szattmariensi literas, sigillò, manúsque suæ authographò munitas, quibus ea pecuniæ summa assignabatur annua, quæ foundationi sat supérq; esset: Cùm ecce gravi oppressus catharrho decumbere debuit, paucósq; post dies Sacramentis omnibus ritu orthodoxo præmunitus, morte justorum vitam terminare Posonii die 19. Martii annò salutis nostræ 1637. annos natus 67. Vir de Ungaria, si quis unquam Apostolicè meritis. Exequiis magnificè adornatis interfuit Prorex Ungariæ flore Nobilitatis Hungaricæ stipatus, Episcopi cum Clero numerosissimo: quorum plerique Parenti

*Szattmariense
Collegiū
apparat.*

*Graviter
agrotat &
obit Posonii.*

renti optimo lacrymis parentârunt. Concionem funebrem Hungarico idiomate P. Rector Collegii habuit, Academia, Poësis, & Rhetorica Tyrnaviensis munificentissimo Fundatori, lugubri carminum, & emblematum Schemate non solum Pofonii, verum etiam inter domesticos parietes, mœsto luctu iusta persolvit. Humatus est ad pedem Mausolei S. Joannis Elemosynarii, quod ipse eidem marmoreum cum argenteo sarcophago, corporis sacri receptaculo, additâ lampade argenteâ cum fomite luminis perpetuo, adhuc annô 1632. construxerat. Urnam sepulchralem ex statuto ultimæ voluntatis, habere voluit ligneam, sepelirique in ea Civitate, in qua eum mori contingeret, non cryptâ quâpiam, sed in terra, causatus Princeps modestissimus, & rerum humanarum caducitatem plus satis perspectam habens, convenire, ut corpus è terra efformatum, rursus terræ matri restituatur.

*Sepultus est
Pofonii ad
S. Martin.*

Laudes Viri incomparabilis celebrârunt scriptores tum domestici, tum externi, quos recensere longum foret. Epitaphium habere nullum

voluit, præterquam quòd statuæ illi positæ amici cum nepote inscripserint:

Petrus Pazmanius Cardinalis.

Nuper autem Paulus Esztoras Regni Ungariæ Prorex, & ipse æternâ memoriâ dignus Princeps, eidem, & duobus aliis hoc monumentum statuit:

Tribus magnis Hungariæ Columnis.

Paulus Esztoras ponit monumentum Pazmano.

Petro Pazmano S. R. E. Cardinali, & Archi-Episcopo Strigoniensi, Georgio Lippai etiam Archi-Episcopo Strigoniensi, Georgio Szécsény itidem Archi-Episcopo Strigoniensi, Patria Patribus:

Quorum veneranda ossa hac requiescunt in fossa,

Posuit hunc lapidem gratitudinis ergò S. R. Imperii Princeps Paulus Esztoras, Regni Hungariæ Palatinus. Annò Domini MDCCX.

Ipse sibi perpetuò duraturum elogium condidit, conscriptis patrio, & latino sermone multis admodum voluminibus; quorum catalogum quatuor amplius scriptoribus contextum infra subjicimus. Nos autem

tem, quod ab eo accepit Societas JESU, hoc grande Mœcenati liberalissimo reddimus monumentum.

Nos Petrus Miseratione Divinâ S. R. E. tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Pazmany, Metropolitana Ecclesiâ Strigoniensis Archiepiscopus, locique ejusdem Comes perpetuus, Primas Regni Hungaria, Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus Natus, Summus Secretarius, & Cancellarius, ac S. C. Regiæque Majestatis Consiliarius Intimus &c. Sæpe nobiscum anxie expendentibus, quâ ratione, & Catholicam Religionem, in Hungaria propagare, & nobilissimæ gentis Hungariæ dignitati consulere possemus; inter cætera adjumenta, primum illud occurrebat, ut aliqua studiorum Universitas erigeretur, in qua, & animi bellicosæ Nationis mansuescerent, & idonei, tam regendis Ecclesiis, quàm Reipub. administranda informarentur. Neque nobis animus, aut conatus ad hæc rem desuit; verùm & clades Patriæ, & alia cum primis necessaria Fundationes hucusque obstiterent, quominus desiderio nostro satisfacere possemus. Nunc verò quoniam

DEO

DEO benedicente, conatusque nostros
 cœlesti favore prosequente, aliqua no-
 bis facultates suppetunt, quibus, si non
 pro rei magnitudine, certè pro af-
 flicta hujus Patrie conditione, ali-
 quid cum gratia DEI facere posse
 videmur. Egimus cum Admodum Re-
 verendo Patre Mutio Vitelesco Soc. JESU,
 Præposito Generali, ut erectioni
 Universitatis in Collegio Tyrnaviensi
 Patrum Soc. JESU assentiretur, ejus-
 que curam omnem, ac gubernationem
 in Societatem recipiendo, sequentibus
 conditionibus, ac modis administrare
 velit. Cùm igitur pro zelo gloria DEI,
 ac Religionis promovendæ, nostram
 oblationem nomine Societatis Univer-
 sæ Pater Generalis acceptarit, nos quo-
 que ultra priorem jam factam, & in
 omnibus punctis illasam permanentem
 Collegii Tyrnaviensis Foundationem,
 & redditus alios, quos hucusque habuit
 Collegium Tyrnaviense, R. Patri Geo-
 rgio Dobronoky Reçtori Collegii Socie-
 tatis JESU Tyrnaviensis simul ad se-
 mel in talleris 60000. florenorum Hun-
 garicorum per manus tradidimus; in-
 super liquidi debiti syngraphâ Cesareâ
 40000. florenorum per eundem Patrem
 Reçto-

Rectorem Societati consignavimus, ut sic in toto 100000. florenorum summa constitueretur. Hanc igitur summam volumus imprimis extra Hungariam in loco securo, vel emptioni bonorum utiliū, vel censibus constituendis Societas applicet, ut ex fructibus illius summa, & Collegii cum Scholis adificatio à fundamentis acceleretur, & Professores necessarii sustententur. Finitò Collegii, & Scholarum adificiò necessariò, & toto etiam 100000. florenorum Capitali ad censum, vel ad bonorum emptionē plenè elocato, ex ejus postmodum censu totali 1000. floreni annuz pro nutrimento pauperum studiosorum in Bursa S. Adalberti per nos Tyrnavia erecta (etiāsi dicta Bursa commutatione domūs alias in edes transferretur) applicentur. Hæc tamen pensio uti præmisimus, non obligat Societatem, nisi & dicta adificia absolvantur, & residua etiam 40000. (è quibus solis pensioni Bursa S. Adalberti provisum in 1000. florenis volumus) à Sua Casarea Majestate ad bonorum utilium, aut census emptionem obtineantur, & elocentur. Quodsi successu temporis DEO Hungariam à Turcico jugo

*jugo liberante, opportunior urbs occur-
 rat pro Universitate, liberum sit Socie-
 tati hanc nostram Foundationem, unà
 cum Universitate aliò transferre, dum-
 modo tamen extra Diocesim Strigoni-
 ensem non extrahatur, & Collegio
 etiam Tyrnaviensi prior sua fundatio
 permaneat illæsa. Si autem (quod cle-
 mentissimus DEUS avertat) Univer-
 sitas in Ungaria continuari non posset,
 sed injuriâ hostium externorum, aut
 domesticorum Patres Societ. exesse con-
 tingeret, ut spes alicujus brevis redditus
 omninò interciperetur, obligata sit in
 hoc casu Societas, censum ac fructum
 prædictæ summæ capitalis, in usum
 Clericorum Hungarorum, ita extra
 Hungariam errogare, ut Sacerdotio ido-
 nei juvenes erudiantur, ac sacris ini-
 tiati in Hungariam redire sint adstri-
 cti. In casu absentia Patrum Societa-
 tis ab Hungaria, si spes sit, non nisi bre-
 vi annorum decursu absfuturam, serva-
 ri volumus, interea censum omnem,
 ad reparanda postreditum Collegii da-
 mna (quæ in ejusmodi motibus evenire
 solent) vel ad providendum Personis
 aliò migrantibus, censualem pecuniam
 applicari. Quod si verò post quoscun-
 que*

que annorum decursus, rursum in Ungariam redire, ac Universitatem continuare, Societati integrum fuerit, volumus immutabiliter, ut Clericorum educatione cessante, summa à nobis assignata fructus, ad priorem Universitatis usum, à Patribus applicentur, Universitasque continuetur. Tenebitur etiam Societas Tyrnavia hoc ipso presenti anno 1635. unum cursum Philosophicum inchoare, successivis verò consequenter annis, tres Philosophici cursus, unà cum Ethica, & Mathematica habeantur, cum duobus Scholasticæ Theologiæ Professoribus; insuper unus Sacræ scripturæ interpres, Casuum alter, tertius Controversiarum, sicut & lingue sanctæ Professor in hac Universitate sit, Promotionesque ad Gradus Academicos more alibi consueto peragantur. Successoribus autem nostris Archi-Episcopis Strigoniensibus, ac Sede vacante Capitulo Strigoniensi, etsi nullum aliud jus in hanc Universitatem per nos erectam concedi volumus, præter illud, quod jure communi concessum est Ordinariis locorum; eisdem tamen Successoribus, ac Sede vacante Capitulo Strigoniensi authorita-

S

tem

tem damus, ut obligationes hisce literis nostris specificatas, & à Patribus Societatis JESU acceptatas, diligenter adimpleri, & observari facere possint & teneantur, salvâ tamen in omnibus Professorum quiete, salvo item Lectionum cursu, & modô Societatis, quem juxta suum institutum in regendis servat Academiis. Successoribus item nostris, ac Sede vacante Capitulo Strigoniensi Universitatem hanc valde comendamus, & commendatam esse volumus. Quae omnia ut à nobis purâ, & sincera intentione Religionis Catholicae promovenda, ac Patrie charissimae sublevanda sunt, ita DEUM Optimum ex animo precamur, odoretur sacrificium hoc bonae voluntatis, fundationisque nostrae uberem benedictionem largiatur, ut magnum nomen ejus laudetur, & glorificetur in aeternum. Datum Posonii in Curia nostra Archiepiscopali 12. Mensis Maji, Anno 1635.

Petrus S. R. E. Presbyter Cardinalis Pazmany, Archiepiscopus Strigoniensis.

Hujus monumenti ut Ferdinandus II. Romanorum Imperator literarum, & Virtutis eximius cultor, robur, pretium, & valorem auget, Bullâ aureâ 18. Octob. ejusdem anni 1635. Privilegiis aliis Universitatibus communibus Tyrnaviensem Academiam donavit, explicatis quibusdam Pazmanianarum literarum capitibus, quæ in controversiam vocari possent. Sic autem decrevit: *Specialissimè verò Universitatum per Imperii fines, & Provincias nostras hereditarias erectarum, ut est Coloniensis, Viennensis, Moguntina, Ingolstadiensis, Pragensis, Olomucensis, Gracensis, jura omnia, ac Privilegia, de Casarea simul, ac Regiæ nostræ Potestatis plenitudine, Tyrnaviensi huic Universitati conferimus, damus, & donamus, pleno cum effectu. Actum in Civitate nostra Vienna, die 18. mensis Octob. An. 1635. Regnorum nostrorum Romani 17. Hungaria, & reliquorum 18. Bohemiæ verò Annò 19.*

FERDINANDUS

Georgius Lippai Episcopus
Vespr. R. H. Cancell. Aulicus.

Ut demum post fata prodesset Vir
pientissimus, & eruditissimus, scripsit,
dum viveret, libros :

Hungaricè.

Volumen precum, sæpius recu-
sum. Rationes decem Apostolicas,
quibus vanitas Lutheranae hæresis
ostenditur.

Libellum anonymum. *Quinque*
Epistolarum contra Petrum Alvinczi
Prædicantem Cassoviensem.

Responsionem Christianã de Cultu
Sanctorum, & eorum pro nobis in-
tercessione adversùs Nicolaum Gyar-
mathy, Græcii Annò 1607.

Responsionem ad librum Petri Al-
vinczii, 1609.

Consultationes de Fide capeffenda
sub nomine Michaëlis Vörös-Marty,
Posonii Annò 1612.

Hodegum, seu ducem ad verita-
tem, Hungaricè Kalauz dictum, in
quo ostenditur vanitas Sectarum Ca-
tholicæ Religioni adversantium; cui
deinde Tomo 3. accessit Appendix 5.
Quæstionum Epistolicarum Posonii
1613. in folio contra Fridericum Bal-
duinum.

Lene medicamentum Civitati Varadiensi exhibitum adversus luporum morsus; cum defensione de Scriptura Sacra, & Ecclesia, scripti à Pazmano Archi-Episcopo Strigoniensi, sub nomine Stephani Szalay, Pofonii 1630. in 4to.

Rationes, ob quas meritò Nobilis quidam à novis Sectis ad veram Fidem transiverit. Epistolam ad Illustrissimam Evam Batthyány. Ibidem Annò 1631. in 4to.

Conciones in Evangelia omnium Dominicarum, & aliquot Festorum per annum. Ibidem 1636. in folio.

Thomæ de Kempis de imitatione Christi libros 4. à se Hungaricè redditos, Pofonii, & alibi recusos.

Latine verò scripsit:

Diatribam Theologicam de visibili Christi in terris Ecclesia adversus posthumum Guilielmi Wittakeri librum contra Cardinalem Bellarminum. Græcii Styriæ, apud Georgium Widmanstadium 1605. in 4to.

Peniculum Papporum Apologiæ, Solnensis conciliabuli, in quo prædicantes jura Ecclesiæ Catholicæ, &

dogmata fuerant ausi infringere, sub nomine Joańis Jenicz Parochi Schenquiczenfis. Pofonii post alteram editionem 1611. in 4to. in Aula Archi-Epifcopali. Accessit Appendix, quâ Anonymi Sicophantæ criminationes in Pontificem Maximum Rhythmis Pannonicis conceptæ jugulantur.

Logos, Alogos contra vellicatores Peniculi Papporum, repetitô typô Pofonii, unâ cum Hodego Annô 1613. in folio.

Vindicias Ecclesiasticas, adversus decreta Principis Transylvaniae in Clerum Hungariae editam: Viennae typis Wolffgangi Schup 1629. in 4to.

Acta, & Decreta Synodi Dioecesis Strigoniensis Tyrnaviae celebratae, die 4. Octobris 1629. Pofonii in Aula Archi-Epifcopali, in 4to.

LEOPOLDUS
à **KOLLONICZ**,
sive **KOLLONITSCH**,
S. R. E. CARDINALIS,
Archi-Epifcopus Strigoniensis.

*Natales
Leopoldi.*

Leopoldus è Comitibus à Kollonicz Vir, seu animi dotes, seu vetu-

vetustæ gentis splendorem, seu præ-
 clarè gestorum pro Ecclesia, Rege,
 & Patria multitudinem, ac præstan-
 tiam spectes, undequaque nobilissi-
 mus; ortus est annò gratiæ supra
 sesquimillesimum centesimò trigesi-
 mò primò die 26. Octobr. Comaro-
 mii, præfidiò totius ferè Europæ
 contra universalem Christianitatis ho-
 stem ab arte, & naturâ facilè muni-
 tissimò: & lustralibus aquis octavo, *Baptismum*
 ex quo editus erat, die sancto Cardi- *accipit à*
 dinali Carolo Borromæo dicato, à *Pazmano.*
 Cardinali Petro Pazmany tinctus. Nu-
 mismate aureo S. Caroli effigiem refe-
 rente donato Petrus bene precatus, ut
 in dignitates, & virtutes eidem sancto
 succederet; quod evenit. Patrem *Genus Pa-*
 habuit Ernestum Comitem à Kollo- *ternum.*
 nicz Præfectum Comaromiensem,
 undecim fratrum natu minimum,
 non magis avorum, ac cæsorum ho-
 stium sanguine Heroëm clarissimum.
 Qui postquam amplius annis 30. Cæ-
 sari militasset, non contentus com-
 muni commilitonum gloriâ, insigne
 virtutis bellicæ specimen dedit, sin-
 gulari nempe certamine bis cum Tur-
 ca congressus, bis victor, utroque

*Genus Ma-
ternum.*

exercitu spectante extitit. Mater Leopoldi fuit Elisabetha excellenti, & ipsa loco Baronum de Kueffstein nata. Hæc (ut frequens lætusque Leopoldus noster narrare solebat) à Ferdinando II. Augusto rogata, qui sibi Comaromium placeret? optimè respondit, modò Societ. JESU Sacerdotes ibi adessent. Arrisit leniter Cæsar, & expectationem desiderii piæ matronæ brevi explevit. Sed nos à parentibus ad filium redeamus: Quod Pazmanus lustralibus aquis abluto precatus est, vaticinatum esse, innocui ejus mores, tenella in ætate major annis gravitas, discendi cupiditas, parentum reverentia, comitas adversus omnes, obsequendi promptitudo, precandi studium, & ad sacras exercitationes alacritas indicabant. Pueritiam, & adolescentiã Comaromii sub cura parentum exegit. Cum amœniores privatim artes edoceretur, tantâ enituit ingenii facilitate, ut genitores summa quæque, jam tunc sibi polliceri non dubitarent; nihil siquidem in eo puerile, nihil vulgare, aut dissonum observabatur; aspectus, gestus motus omnis, & sermo eos honores præfagiebat, quibus postea toto orbe

effulfit. Quas ob res vix annum quartum, & decimum natus, sublimiorū *Viennam mittitur ad*
 studiorum causâ Viennam missus est; *altiora studia, & ad*
 ubi Ferdinandi IV. Ungarorum Regis *aulam Ca-*
 Ferdinandi III. tunc Imperii clavum *saream.*
 gubernantis filii obsequiis adjicitur. In

Aula, quod mirum, non minùs virtutibus, quàm añis crescens, tantum constanti in DEUM pietate, modestiâ, & castitate (sacramentò jam obligatus) profecit, ut Principibus in paucis acceptus esset; quò factum, ut cui primos olim magistratus mandandos præviderat Aula, eidem militaris quoque scientiæ consequendæ daret occasionem.

Quare à Ferdinando III. Melitam Ordini Equitum Hierosolymitanorum adnumerandus annò 1650. *Ordini Melitensi dat nomen, ubi plura ejus acta.*
 mittitur; quam ille profectionem hòc lætiore animo suscepit, quò ma-

gis anhelabat majorum suorum gloriosè gesta æmulari. Et verò sectabatur eos strenuè, tum in Candiæ ab hoste vehementissimè oppugnatæ felici defensione, tum ad Dardanellas, ubi nimirum septem supra viginti barbarorum triremibus, viginti & una Melitensis Ordinis admotis acriter dimicans, primus in adversæ aciei navi-

gium insiliens, excusso in mare hostili signo, candidæ crucis vexillum erexit. Promeruit hoc facinore, ut licet tribulibus suis ætate longè fuerit inferior, à magno tamen Ordinis Magistro bienniò de more Melitæ Castellanus diceretur. Hic amplissimum exercendi virtutes Christianas campum adeptus, execrabilem nudinationem, quâ antehac à Mahometanis mancipiis progenita soboles pretiò non magnò vendebatur, abolevit. Christianos contrà, diuturno apud Turcas carcerum squallore pene consumptos, pro sua virili in libertatem asserere semper contendit. Mendicabulorum ad hæc gregem collegit; & nè aut fastidium crearent incolis, aut turpi otio tempus tererent, partim ad moderatas applicuit operas, partim in ædes à se coëmptas inducta, stipe opportunâ refocillavit. His aliisque actis, & virtutum maturitate, quoniam ætatem longè anteverterant, duarum arcium præfecturâ auctus est, alterâ Maylbergensi in Austria, Ægrensi in Bohemia alterâ, quarum administratione susceptâ, nihil illi potiùs fuit, quàm vel nomina earum expungere, vel ampli-

ficare censum. Illam enim 45000. debitò liberavit; istius 10000. incrementò ærarium auxit. Aliam præterea Præfecturam septenniò ipsò à possessione abstractam, suâ industriâ Ordini restituit. Verum livor, qui semper comitatur virtutem, & gloriam, perculit quidem Leopoldum, sed non perdidit servatum ad majora. Alius enim toxicum propinatum ebibit. Tantò periculò ope Divinâ ereptus Leopoldus, depositis armis, ut hæresim in Patriæ viscera sævientem promptius insectaretur, Clericali militiæ nomen dedit. Sacris initiatus per eum, cui postea suffragatus est ad Pontificatum. Annò 1659. in Augustam Aulam regressus, clavem auream camerae à Leopoldo I. à quo semper in oculis gerebatur, accepit nobile Cæsarei favoris testimonium. Ab eodem Imperatore subinde Præ-

Fit Episcopus Nitriensis.

sul datus Nitriæ, mox religionem propagare, hæresim atterere, languentes verbò, & exemplò ad virtutem excitare, ædes sacras, & mœnia præsidii Nitriensis erigere; quæ etiam dum locum protegunt. Ast non diu licuit Antistiti vigilantissimo hanc vineam

colere. Nam aliquid tempori, & æmulationibus concessurus, homo Equestris Ordinis ut à seditione, quæ tunc cudebatur, procul esset, Episcopatu Nitriensi ultrò se abdicavit, maluitque vectigalibus Regiis Posonii præesse annò 1672. quàm animabus.

*Renunciat
Episcopatu
Nitriensi,
accipit Neo-
stadiensem,
& Præfe-
cturam Ca-
mera Hun-
garicæ 1672*

Neostadiensem tamen Infulam cum hac præfectura acceptavit, nec sivit esse otiosam. Nam præter sollicitudinem informandò ad meliora populò Colossum in foro urbis DEI paræ posuit, inopes mechanicorum tyrunculos vestivit. Paulò post intimorum consiliorum Leopoldi I. particeps factus, quæ maximè è Reipubl. bonò futura censebat, in medium proferbat.

*Dinastia
Levardien-
sis dividitur
inter Kollo-
nitschios.*

Annò 1676. expleta à L. B. Sigefrido Kollonitsch mortalitate, Levardiensis Dinastia pertinebat jure ad Joannis, & Ernesti, Fratrum, ut opinor, Sigefridi liberos; à solis hæcenus Joannis hæredibus tenebatur. Ut confestim tribuatur inter superstites Kollonitschios, hinc Leopoldum Neostadiensem Episcopum, Ferdinandum Emericum, & Georgium Gulielmum, Ernesti ex Anna Elisabetha

betha à Kuefschtein, inde Ferdinandum Christophorum Udalricum, & Henricum, Joannis Georgii ex Ludmilla Pfesefevifen Filios Comites, Joanni Mednyanzkio Locumtenentis Protonotario dat in mandatis Leopoldus M. Si qui intercederent, aut desistere à negotio juberent, seu repugnantiam, seu imperia negligeret, à quocunque processissent. Quàm Leopoldus Antistes parùm humanis affectibus etiam inter junctiores communione sanguinis moveretur, quàm pressè Christi consiliis insisteret, memorabili ad posteros facto tunc patuit. Præteritis Patruelibus, quin Fratribus, suam novæ hæreditatis portionem in egentes paternè confert; quæ in miseros beneficentia reliquam ejus vitam magnis auctibus illustravit. Publicò acatholicorum flagrabat odiò ob implacabiles cum hæresi inimicitias. De omnibus Ordinibus, deque omnî ætate merendi studium Virum humanissimum enixè Catholicis commendabat. At in gravem quoque eorum invidiam incurrit, quòd aris devoto, profanam ærarii procurationem Rex præ profanis credidisset: quam juxta

*A profanis
 ob. questuræ
 administractionem
 pugnatur.*

arti-

articulum Comitiorum anni 1608. *Theſaurarius, ſive hic perceptor proventuum Regionum, ſive Praefectus, aut quovis alio nomine appelletur, ſecularis ſit, ſibi unicè propriam pertenderent.* Non ignorabat hoc ille, neque propterea commovebatur magnopere, identidem ſe ſe in propoſito, operam DEO, Regno, ac Regi approbandi, illo lemate confirmans: *rectè faciendo neminem timueris.* Et verò vix quemquam reperias, qui ærarium, quæque deinceps ſplendidiora inivit munia, fructuoſius in publicum adminiſtrâſſet.

Vienna peſtilentiâ laboranti ſuccurrit.

Annus volvebatur Chriſti 1679. Auſtriæ, & Ungariæ peſtilentiâ infamis & exitialis, cùm Leopoldus noſter conſtitutis Neoftadii Sacerdotibus, qui ſi neceſſe foret, agris ſuprema ſubſidia ferrent, ipſe Viennam, quæ maximè ægrotabat, quaſi nihil periculi ſubeſſet, accurrit. In urbe nondum omnia, in ejuſmodi temporum articulo neceſſaria ritè ordinata advertens, ipſe cætera diligentius diſponebat, eâ contentione, ut uni illi totius urbis ſalutem conceditam dixiſſes. Viros igitur cordatos undiq;

dique conquisivit, partim qui conscientias, ac mentes, partim qui corpora curarent. Insuper hujus suæ sollicitudinis perpetuam memoriam relinquere cupiens, Sacerdoti in quoscunque futuros annos Sacramenta pestiferis administranti, pensionem assignavit.

Reddito puriori aëre respiravit Vienna ex pestilentia, quam cum grandi humani generis jactura perpeffa est; cum ecce totus Oriens occasum omnium anhelans, pro mœnibus urbis inopinatò constitit. Trepidantibus, ac fugientibus nobiles, Kollontschius tantum abest, ut pedem ex urbe efferret, ut potius tempus sibi advenisse existimaret, quò plurimum pro DEO, Cæsare, próque tota Christianitate laborare posset. Impavidus itaque mœnia urbis lustrabat, mœstos consolabatur, desperantes in spem erigebat, Duces, ac milites animabat, stipendia (motis etiam sacris thesauris) persolvebat, obligandis denique vulneribus lintea sanè multa conferebat. Uti exemptæ supremo discrimini Viennæ gloria in totum est Christiani exercitûs, ita conser-

Vienna in-

cluditur

tempore ob-

fidionis ma-

gnè emolu-

mentò.

VATA

vatae in tot pertinaces aggressiones laus referenda in Gubernatoris Starenbergii, & Civium, militumq; mutua alacritate certantium constantiam. Kollonitschius hostium cecidit nemine, neq; arma induit, Starenbergio tamen conferri, aut proximè Starenbergium collocari promeruit. Ille enim omni levamenti genere refovere jacentes; Cœnobia in Nosodochia convertere; nullis in miseros sumptibus parcere; denique dum mœnia alii, ipse mœnium defensores servare. Quibus rebus ad hostes elatis, in acerbius longè, quàm propugnatorum plerique omnes, odium Vezirii venit. Ubi ubi in suam potestatem redigeretur, se ei cervicem in operæ pretium resecturum dejerabat. Si Vezirius rescivisset, quidquid à Kollonitschio in urbe perageretur, Szelepcsénii ære confieri, in Szelepcsénium nihilò mitiùs, quàm in Kollonitschium statuisset. Illicò, ac ad defensionem Vienna comparari cœpta est, desperabatur æs in stipendia militum; stipendiis negatis, animi ad resistendum. Certum erat exhaustum iri ærarium exiguo temporis intervallò, nisi aliquid

cundè augeatur, quod difficili usque
 adè tempestate desiderari potius,
 quàm sperari posse, credebatur. Quid
 ergo? Szelepcsénus equidem non in
 defensionem Viennæ, sed in alios,
 Reipublicæ usus, ut erat copiosus,
 500. florenûm millia Viennæ condi-
 derat. Sollicitis Præfectis, unde ad
 sustinendam defensionis molem ner-
 vi? hanc, quanta erat, summam Kol-
 lonitschius protrahit, & in stipendia
 milirum, in miserorum solatia, aliòsq;
 publicos usus ad assem erogat. Hac
 ratione gemini Antistitis, alterius
 toto genere Ungari in congregando
 ære industria, alterius in Ungaria nati,
 ac inter Ungaros rescripti in ero-
 gando liberalitas, ac fides nihilò mi-
 nus, quàm cæterorum opera in pro-
 pugnanda, aut depellendis ab oppri-
 menda Turcis, ad salutem Viennæ
 profuit. Æquum erat, ut vicini Dy-
 nastæ, Urbes, & Provinciæ, quarum
 intererat, ne Vienna concidat, & in
 ejus ruderibus barbarorum in Germa-
 niam Imperium exurgat, præbitas ful-
 ciendæ impensas compensent. Par
 est, ut hodièque urbanissimus po-
 pulus, immortales, dum liber vivet,

*Ad juvan-
 dos Vienna
 propugna-
 tores Szele-
 pcséni Stri-
 gonienfis
 Archi-Epi-
 scopi the-
 saurum
 aperit, &
 erogat.*

duobus Ungaris Prælatiſ, alteri illarum opum Domino: alteri earum diſpenſatori gratias habeat, quorū induſtriâ factum eſt, ne ſub jugum in ruinis Viennæ miſſus ſit. Affirmata Viennæ libertate erant quidam in opinione, uti impenſæ pro ſalute Viennæ pertinebant ad omnes, ad quos è capta à Turcis Vienna calamitates pertinuiſſent, ità quémque adſtringi ad reficiendam impenſarum unius pro omnibus partem, ſingulis commenſam, ne in communi lætitiâ ex deſperatione ſit aliqua triſtitiâ cauſa auctori communis lætitiâ, ob jaçturam non modicam fortunarum, queis lætitiâ aliis parata eſt. Flagitabat Szelepcsénius, ut Kollonitschius ſuas impenſas compenſari curet. Apologiâ inſtanti ſatiſfecit Kollonitschius, non inficiens ære Szelepcséniano ſtipendia à ſe propugnatoribus Viennæ eſſe perſoluta, ſed multis oſtendens, dum tam neceſſario rei Chriſtianæ tempore in milites diſiſum eſt, tam opportunò eſſe poſitum locò, ut ne à Szelepcsenio quidem poni meliore potuiſſet. Capere præterea poſſe Szelepcsénium uberrimum gaudium,

dium, ajebat, quòd suæ industriæ fructibus Christiano populo tantum emolumentum quæsitum sit. Unde conficiebat, se nihil cuiquam debere, neque quidquam ab se desiderari posse. Diversa benignissimi Principis Leopoldi animo sedit sententia; Quamvis ærarium Regium admodum attenuatum nôsset, & ad continuandas victorias aurò, & argentò opus haberet, tamen neque afflictis crudeli populatione Austriacis, Styrisve, neque perculsis impendentis exitii metu, & recenti periculo etiamnum trepidantibus finitimis populis afflictionem geminare imperando justam compensationem, neque tot impensas in publicam salutem Szelepcsénio interire sustinuit; sed ut de publicatis perduellium fortunis, quos nominabat, tot impensæ suis à Quæstoribus compensentur, quadringenta nonaginta tria florenùm millia Szelepcsénio rependi voluit. Verùm supremo humanarum rerum Arbitro aliter visum: tantæ liberalitatis de temporaneis fortunis vicem, tribuendo æternas opes in cœlo, priùs Szelepcsénio reddidit, quàm morem Leopoldi sententiæ

Quæstores gererent. Quin ejus dispensatione reliquum demortui Szelepcsénii factum, ac infectum aurum, atque argentum cum universis facultatibus, quæ centies, & septuagesies centena florenûm millia æquâsse feruntur, in sacrum bellum ad depellendos Ungariâ Turcas, & instaurandam Christianam Religionem, ubi sæculô amplius superstitio dominabatur, impensum est. Secutâ morte Szelepcsénii jam alioqui cœlo maturi, quidni opinionem, ac dispensationem Kollonitschii DEUS comprobâsse visus est?

Depulsô tandem ab urbe Turcâ, dum alii spoliis detrahendis, Leopoldus infantibus colligendis occupatus erat. Quorum deinde victui, & educationi paternâ providentiâ prospexit; eandémque misericordiam in pluribus Ungariæ præsidiis Turcis ereptis, Szigethi scilicet, Petrovaradini, Eszekini deinceps exercuit. Mirabantur hæc multi, qui videbant; sed Leopoldus Imperator mutuum insuper gratiam referre Viro peroptabat, ad omnémque occasionem tantis meritis compensandis animum intenten-

Fit Episcopus Jaurinensis.

tendebat. Jaurinensi itaque Cathedralæ, unde census homini magnificentissimo amplior esset, præesse Kollonitschium iussit. At neque hic benevolentia in eum Magni Cæsaris quievit: eò ipsò enim annò, qui agebatur post Christum natum 1686, enitebatur, contendebátque, ut summo Ordini adscriberetur. Partem

epistolæ Leopoldinæ ad Innocentium XI. Candidatum aliquem eximium ad Purpuram petentem datæ, non ab re fuerit referre; cuius quidem

Commendatur Innocentio XI. ad Cardinalatum.

hæc verba fuère: *Talem omnino esse*

arbitramur Reverendum, devotum, nobis dilectum hæctenus Neostadiensem, nunc verò nominatum Jaurinensem

P. Christophorus Trautt S. J.

sem Episcopum Leopoldum de Kollonics,

in aggratulatione de

qui cum virtutem suam, suumque pro-

lacione de

animarum salute, & Christiana Reip. conservanda zelum, adhuc nuper luculenter probârit; quando non tantum

accepto quadrato, Vienna impressa

grassante per Provincias nostras hæ-

apud Matthæi Cosme-

reditarias pestiferâ lue, gregi sibi con-

rovii vidu-

credito fidelissimus Pastor contempto

am. 1686.

mortis periculò constanter adfuit, sed

etiam urbi nostræ Viennensi in ultima

obsidione sponte se includi passus, mi-

lites, cives, aliòsque ad fortitudinem,

Et acerrimam propugnationem verbis, exemplò Et liberalitate suâ incitavit, multorumque inopia, Et necessitatibus propriis opibus subvenit; tum aliàs etiam semper, ex quo Episcopatibus suis successivè Nitriensi, Neostadien-sique præfuit, tantæ pietatis, vitæq; Et morum sanctimonia, nec non inexplebilis sui in propaganda Catholica Religione studii specimina dedit, ut quem et jure præferamus, habeamus neminem. Hæc oratio, hic sensus erat Leopoldi Imperatoris, de suo Leopoldo. Lectis tantis laudibus non potuit non assentiri Pontifex Max. Cæsareis postulatis. Quare 2. Septembris unum de viginti septem Cardinalem creat nostrum Kollonitschium. Dies porrò hæc celebritatis, & liberalitatis Pontificiæ sicut non vacabat mysteriò, ac pene prodigiò, ita toti orbi Christiano lætissima illuxit propter ereptam Turcis tandem Budam; quam rem adedò jucundam, adedò orbi Christiano salutare in paucis meritò attingere licebit. Carolus Lotharingiæ, & Maximilianus Baviariæ Dux, militiae Principes erant; hic popularium suorum octo mil-

Brevis descriptio propugnationis, Et receptio-nis Budæ.

millia, & auxilia Imperialia, ille Cæsareas copias ducebat, universè amplius nonaginta millia. Vezirius Budensis, quia suspensus, & incertus erat, quò se verteret exercitus Christianus, ex suis, qui Budæ defendendæ destinati erant, quatuor millia Agriam, totidem Albam-Regalem direxit, quod nostris destitutò tot millibus praesidiò magno adjumento fuit, animòsq; haud mediocriter confirmavit. Igitur 16. Junii ad veterem Budam castra posuere, & intra paucos dies junctis navali ponte Danubii ripis insulas adjacentes, totamque undique continentem ita occupaverunt, ut nulla spes obsessis auxiliorum, & copia evagandi deinceps esset. Erumpebant tamen frequenter hostes cum aliqua clade nostrorum, antequam vallò, & fossâ, ac vineis castra munirentur. Ex omni quidem parte urbs impetebatur, sed præcipuè duo anguli extremi, quorum alter est ad palatium Regium, alter ad portam superiorem, machinis bellicis verberabantur; prior quidem à Bava-ro, posterior à Lotharingo. Hic supremus istius expeditionis Imperator, octavo obsidionis die Aquaticâ civita-

te, quæ olim Subcastrum dicebatur, potitus, gravem timorem incussit hostibus. In primis verò memoratu dignum est in hac obsidione, quòd 22. Julii è mortario globus ardens ex parte Pesthana vi pulveris pyrii ejectus, inque turrim pulverariam delapsus, perfractis fornicibus, ac parietibus, mille quingentos Turcas exanimaverit, lapidesque in castra Christianorum libraverit. Clades Barbaris maximo dolori fuit, nostris etiam jucundo spectaculo. Qui proinde animis erecti irruptionem prostratis jam mœnibus 24. Julii instruxerant, jamque ad intimam partem urbis ferrò sibi viam faciebant, cum subitò clandestinus ignis evasit in auras, multosque militum vel peremit, vel fauciauit. Ex Cæsareanis quidem bis mille partim cæsi, partim læsi; ex Bavaricis copiis septingenti occisi, ad mille centum incendiò consumpti sunt. Nihil tamen ob cladem hanc à contentione oppugnandi remissum est, quin 27. ejusdem mensis occulto meatu ad palatium Regium eluctati sunt; sed rursus fumò quòdam olidò locò cedere compulsi. Hunc in modum clades à

P. Joan. Rôsingh in asseritionibus Elementaribus editis, Viennæ typis Leopoldi Voigt.

nostris & accipiebantur per vices, & inferebantur; donec dejecta ex duabus partibus mœnia fossas implerent, & promptus ad subigendam urbem aditus pateret; sed & hostium assiduis præliis attritorum, quàm amplitudo loci posceret, exiguus numerus, & inopia rei frumentariæ spem potiundæ urbis non vanam fecerat. Supremus Vezirius non ignarus horum, certumque habens, amissô hõc locõ Turcas totâ Ungariâ nullõ negotiõ depulsum iri, cum 60000. mill. ad laborantem urbem accurrit. Mox selectam quandam manum misit, quæ valla, & castra Christianorum perrumperet, atque in urbem evaderet propè portam, quæ hodie Viennensis dicitur. Quingentos ferunt mœnia penetrâsse, cæteros partim fusos, partim in castra Turcarum repulso. Nihil cunctandum Duces Christianorum rati, quanquam adessent obsessis auxilia, die 2. Septemb Cæsareani ex sua statione egressi irruère in muros; primùm in aditu multi utrinque occubuère, deinde depulsi à mœnibus Turcis, in urbe per vicos latè stragem dedère. Barbarorum reliqui, qui in arce erant, suis

fuccurrere volentes, à tergo à Bavaris, palatium Regium ingressis, à fronte à Cæsareanis copiis compressi, & constricti, intra angustias duarum portarum denique arma projecerunt, vitamque à victoribus deprecari sunt. Præda ingens passim reperta multos locupletavit, tormenta 494. occupata. Desiderati ex nostris ad quinque, ex Barbaris ad 12. millia. Interfuit oppugnationi, & expugnationi urbis inter cæteros Christianus Augustus è Ducibus Saxonix, quem Metropolitanam Strigoniensem, & Cardinalem post Kollonitschium veneramus. Ad diem hunc secundum Septembris ob expugnatam Budam, & victoriam ope Divinâ è Turcis reportatam, Innocentius XI. Pontifex Max. in perpetuum per totam Ecclesiam sacra solennia de S. Stephano Rege Hungariæ instituit.

*Leopoldus
Imper. I. eo
poldo Kollo-
nitschio im-
ponit Bire-
tum.*

Leopoldus Imperator ob receptam Budam immensâ lætitiâ exultans, ac gestiens, majorem cepit, ubi allatum est de Kolloniczio, eo ipso die inter Vaticanos Principes adlecto; mox diem statuit 28. Octobris, quò Præsul pileô rubrô, quem Biretum dicunt,
or-

örnaretur. Processit Augustus cum Domo sua, ac Palatinis, cum splendore vestium animi hilaritatem indutus, ad templum Aulicum PP. Discalceatorum D. Augustini, nullique delegare volens officium, ipse pileo rubro caput Præsulis frequentatis cæremoniis, & singulari affectûs contestatione texit. Tribuit è suggestu latino sermone præconium novo Vaticano Antistiti P. Christophorus Trautt è Societate JESU, Cæsareæ Majestatis Concionator Ordinarius. Auxerunt celebritatem festivæ totâ urbe acclamationes, plaususque; Cardinalis ideo potissimum sibi de dignitate gratulabatur, quòd majori cum auctoritate Rempub. Christianam defendere, & juvare posset. Illi enim omnis honor, vel vilis erat, vel Christianæ illi virtuti, quam humilitatem dicimus, subjectus. Tritum sanè, ac celebratum est, quòd cum in Basilica D. Stephani concioni misericordiam in egenos commendasset, ipse inopum turbae immistus in Purpura stipem colligere non erubuit. Annò 1689. obierat Sanctissimus P. Innocentius XI. Kollonitschius Cardinalis simul ut Gale-

*Leopoldus
Kollonics
mendicat
pro pauperibus.*

lerum acciperet, simul ut suffragaretur ad Pontificatum successori illius, Romam se contulit ad Comiticia sacra, in quibus electus est Alexander VIII. ab hoc & pileum rotundum, & titulum Presbyteri Cardinalis S. Hieronymi Illyricorum, quem etiam Pazmanus habuerat, adeptus est.

*Fuit Archi-
Episcopus
Colocensis,
& Strigoniensis.*

Jam igitur præcipuum sacri Senatûs decus gerebat Leopoldus, minores tamen Infulas Hungaricas novas non fastidivit. Annô siquidem 1691. Colocensi, & quadrienniô post 14. Julii in locum Georgii Szécsénii priscae simplicitatis, candoris, & munificentiae inauditae Præsulis suppositus, Strigoniensi mitræ humeros subjecit. At quorsum tot, tantæque Infulæ? Non erant profectò incentiva jactantiae, aut avaritiae, sed subsidia virtutum, & incitamenta rerum eximiè, & ampliter agendarum. De quibus P. Martin. Szent-Ivanus generatim ait:

*In Catalogo
Archi Epif
Strigoniensis.*

Leopoldus è Comitibus à Kollonic S. R. E. Cardinalis, quæ, & quantabona pro Casare, Ecclesia, Regno, totaque Christianitate præstet, præstiterit, & præstiturus sit, non est hujus loci, & temporis enumerare. Non enim possunt

sunt hæc pauculis pagellis comprehendendi, sed integris libris ad id opus erit. Ego quoque tantò rerum cumulò, & mole obrutus compendium fecero, si vel summam quædam publica attingam: nam dilertè in solo libro vitæ descripta sunt omnia, quæ fecit hic supremæ Aulæ Camerae Gubernator, ac tandem Protector Germaniæ.

Pastorem se datum noverat populo Catholico; gregem proinde suum tutari, & conservare, in vasaforésque persequi nunquam destitit. Annò 1672. reformabat Religionem in Ungaria Leopoldus Imperator, & templa nullâ lege, vel occupata, vel erecta ab Hæreticis recipiebat. Kollonicsius unius Posoniensis singulariter sibi poposcit spoliolum. Die 18. Julii impletis Cæsareo milite omnibus urbis plateis, prohibitisque civibus egredi è suis domibus, ad ostium templi Sanctissimæ Trinitatis accessit, illudque validè obseratum deprehendens, Sigillò sui officii obsignavit; Gymnasium item Lutheranorum occupavit. Octavo deinde Septemb. qui Natæ Reginae Angelorum sacer est, reseratis foribus, hinc inter Catholicorum tri-
pu-

*Leopoldus
Imper. re-
format re-
ligionem in
Hungaria;
Kollonics
templum
adimit Lu-
theranis Po-
sonit.*

pudia, illinc hæreticorum fremitus templum ingressus, gratulationem fecit, habuitque orationem, ut sæpè aliàs ornatam, & ad tempus accommodatam: Sacrum verò fecit Strigoniensium Archi-Præsul Georgius Szepcsénius. Non erat negotium hoc ab omni periculo vacuum. Princeps tamen conjurationis comprehensus, Lutherum ejuravit Tyrnaviæ. Annò insequente Kollonitschius consensione Cæsaris Patribus Societatis JESU templum illud jam Salvatori mundi consecratum, cum ædibus contiguis, & Bibliotheca tradidit. Annò denique 1698. iisdem Collegium statuit; cujus fundamenta ipse solennibus Paschalibus jecit.

*Valachos
unit Roma-
na Ecclesia.*

In Transylvaniam quoque zelum suum, & curam Pastoralem protendit, quando gentem Græci ritûs, Divinò prorsus inventò, ad communionem Romanam Ecclesiæ traducere nitebatur. Inter alias Nationes Provinciam illam Valachi, Romanorum quædam reliquiæ incolunt; horum Sacerdotes perinde, ac alii de plebe à Dominis suis in operas mittebantur, asperèque, & acerbè tractabantur.

Miser-

Misertus eorum Kollonitschius impetravit ab Imperatore, ut privilegiis Catholicorum Sacerdotum gaudere possint, si rescisso schismate ad universalem Ecclesiam sese aggregarent. Literæ Kollonitschii hac de re ad Gubernium Transylvaniae missæ sunt sequentes.

Nos Leopoldus miseratione Divinâ Typi vult.
 S. R. E. tituli S. Hieronymi Illyricorum gatum est.
 Presbyter Cardinalis à Kollonics Archi Episcopus Strigoniensis, locique & Comitatus ejusdem supremus, ac perpetuus Comes, Primas Regni Hungariae, Legatus natus, summus Secretarius, & Cancellarius; S. Joannis Hierosolymitani Ordinis Prior, & Commendator Egræ, Maylbergæ; S. C. Regique Majestatis intimus Consiliarius Actualis. omnibus ad quorum manus Præsentes devenerint, maximè verò Græcivitibus Valachicis Sacerdotibus per Hungariam, Transylvaniam, partèsq; eidem annexas existentibus, salutem in Domino sempiternam. Notum facimus tenore præsentium, quibus expedit universis, quòd aliè libata Sacratissima Casarea, Regiæque Majestas LEOPOLDUS I. Imperator semper

Augu-

Augustus, tam die 23. Aug. anni 1692. quam die 14 mensis Aprilis anni currentis clementissime resolverit, qui ex Sacerdotibus Græci ritus editâ Professione ad observantiam Græci ritus apud Catholicos, cum agnitione Summi Pontificis se declaraverit, iisdem prorsus Juribus, Privilegiis, Exemptionibus, ac Immunitatibus frui, & gaudere debeat, quibus Sacerdotes Romano-Catholici sive ritus Latini, juxta sacrorum Canonum sancita, & Divorum Hungariæ Regum statuta, frui, & gaudere dignoscuntur. Quam benignissimam Suae Majestatis Sacratissima Resolutionem intelligentes (preterquam quòd ingenti gaudio perfusi sumus, quòd viam vobis aperiri audiamus, & videamus, quoad arvitum Ecclesie Romano-Catholicæ gremium, unionemque salvificam redire possitis) illud pariter muneris nostri, & Pastoralis curæ, quâ per Hungariam universam, uti & Regna, Provincias eidem annexas, ut Primas Hungariæ, & Legatus natus fungimur, vique auctoritatis nostræ Archi Episcopalis Metropolitanæ Strigoniensis speciali Sacre Sedis Apostolicæ privilegio nobis

concessa, esse duximus, ut nostram vobis omnibus ad unionem cum Ecclesia Romano-Catholica redeuntibus, ac redituris favorem, & specialem in omnibus protectionem offerremus; quod etiam tantò efficacius prestabimus, quantò vos in dicta unionis Professione, ac conservatione ferventiores, ea nimirum omnia, quae S. Mater Ecclesia Romano-Catholica docet, profitetur, & credit, privatim, ac publicè docendo, profitendo, & credendo, speciatim verò quatuor illa puncta, in quibus hactenus potissimum deviâsse videbimini protestando, extiteritis. Primò nempe: Romanum Pontificem esse caput universale totius diffusae per orbem Ecclesiae. Secundò: Panem Azymum esse sufficientem materiam sumendae caena Dominicae, seu Sacramenti Eucharistiae. Tertiò: praeter caelum sedem beatorum, & infernum carcerem damnatorum, tertium dari locum, in quo animae defunctorum nondum satis expiatae detinentur, ac purificantur. Quartò demum: Spiritum Sanctum, tertiam in Trinitate Personam à Patre, & Filio procedere. Quod dum facitis, non solum à DEO bonorum omnium

Largitore, in presenti quidem vita, uberem suarum gratiarum influxum, ac largiorem etiam in temporalibus benedictionem, in futura verò aeternam felicitatem sperare poteritis: verum etiam Augustissimi Caesaris favore, ex Regiæ potestatis plenitudine, tum personæ vestræ, tum Ecclesiæ, reliquaque ad eandem spectantia, immunitate, ac exemptione pari condecorabimini, quæ Ecclesiæ personæ, resque Ecclesiasticæ Latini ritûs ex sacrorû Canonum præscripto effectivè perfruuntur. Et si quis hoc Suae Sacratissimæ Majestatis decretum ausu temerario contemnere, aut prædeclarata huic Græci ritûs unitorum immunitati Ecclesiasticæ apertè, vel occultè ullo sub prætextu, aut etiam prætensi usûs, & consuetudinis, antequam unirentur, sub velamine, contraire præsumeret, iisdem prorsus pœnis, tum ab Ecclesiastici, tum à secularis fori Judicibus, tum etiam ab Augustissimo Cesare, si opus fuerit, infligendis obnoxius erit, & subjacebit, quas fidelium Latini ritûs immunitatem Ecclesiasticam ledentes de jure, ac consuetudine incurrunt. Ac insuper in hujus Ecclesiasticæ immunitatis

usu universi Domini Episcopi, Gubernium Regium, Magnates, supremi Capitanei, ac Judices Regii, tum Ecclesiastici, tum secularis fori Judices, & Justitarii, si coram eis in predeclarata immunitate vos laesos esse questi fueritis, eorumque auxilium, & assistentiam imploraveritis, judicium, & justitiam non minus, ac Latinis S. Matris Ecclesie fidelibus eadem immunitate gaudentibus, administrare debent, & tenebuntur. Quod si prestare intermitterent, nobisque, ac successoribus nostris desuper relationem feceritis, ut malo tam evidenti, severiorietiam manu, medela tempestive adhibeatur, allaborabimus. Datum in Curia Commendae nostrae Maylbergensi beneficiata, Vienna Austriae, die secundâ mensis Junii, Anno Domini M.DC.LXXXVIII.

Leopoldus Cardinalis à Kolonics Archi-Epif. Strigon.

Illis itaque conditionibus, & æquarationibus plus ducentis millibus Ecclesie Romanæ, non dico omnes adjunxit, sed adjungere conatus est. Ne-

Opera Cardinalis.

que verò his terminis circumscrisit, aut definivit desiderium amplificandæ fidei. Nam Judæos quidem, & Saracenos bene multos sacro latice tinxit; reduces ab hæresi benignè fovit; parentum Heterodoxorum, ac Schismaticorum liberos, per exteras regiones sollicitè conquisitos aluit, erudivit, protexit. Tyrnaviæ hanc ob causam Seminarium Illyricorum inchoavit, aliud restituit. His annuera vel condita, vel adjuta Seminaria Viennæ, Cremsii, Zagrabia, Znoymæ, Novædomi. Posonii cùm Præfecturam Camerae Regiæ gereret, sexdecim pauperes literarum studiosos domi suæ sustentavit; Neostadii quotannis præmia scholaribus distribuenda constituit. Et quis cuncta vel brevissimè percurrat? In censum præterea eorum, quæ omnium oculis subjecta sunt, veniunt Domus Pauperum, mœnia Ujvariensis præsidii, & ædes Typographiæ Tyrnaviensis. De bello in Turcas continuando anxie sollicitus, cùm sensim Cæsareum, Regiùmque ærarium exhauriretur, ad Patrimonium D. Petri recurrit, atque ab Innocentio XI. aliquot

quot centena millia nummum impe-
travit.

Societatem JESU (quid enim hoc
cuiquam celem?) semper benevolè
complexus; ei gratificari ubi ubi li-
cuit, non intermisit. Præter Colle-
gium Posonii erectum, & proventi-
bus locupletatum, in Residentia Co-
maromiensi Concionatoribus censum
annuum assignavit, uti & Missiona-
riis. Residentiæ item Eperiesiensi
duos pagos deserti cujusdam Mona-
sterii obtinuit: quin normam quan-
dam vivendi ejus Religionis sequeba-
tur. Quotidie enim valens sacris
operabatur; mane cum tyronibus
Annæis (quorum excitatoris vocem
in suo cubiculo semper percepit)
quietem abrumpebat, rerumque Cœ-
lestium contemplationi horam dona-
bat. Adhæc quasi Evangelicam pau-
pertatem professus, compensatio-
nem, & stipendium pro nullis fati-
giis, & functionibus admisit. Singu-
lare est, quòd, cum matrimonio jun-
gerentur Carolus Dux Lotharingiæ,
& Eleonora Poloniæ Regina, soror
Leopoldi I. oblatam pro ministerio
magni pretii gemmam in ferculo Eu-

*Pro labori-
bus nullum
premium
acceptare
solitus.*

charistico mox suspendit. Qui nihil pro laboribus suis remunerationis habere voluit, n̄l mirum quòd ultimis vitæ annis Aulicâ Præfecturâ abire jussus, præsentî, & tranquillò animò fuit. Per summos denique sacros pariter, ac politicos magistratus vinctus, in neutros quidquam impendit. Tentatus quandoque centenîs millibus nummorum Rhenensium, adedò æquitatem venalem non habuit, ut munia ultrò repudiare mallet, quàm virtutis cujusquam detrimentum pati.

*Mors Kol-
lonitschii,
& sepul-
tura.*

Mercedem tandem tantorum laborum, ac operum, ut sperare fas est, magnus Pater orphanorum, & militum vitâ honestissimè actâ accepturus, calculò affectus, ac prostratus, ipsaque senectute fatiscens, sæculum hoc deseruit Viennæ An. 1707. Edenti animam adstitit P. Gabriel Hevenesius Vir religiosissimus è Soc. JESU; quò arbitrò conscientia Cardinalis utebatur. Corpus aliquamdiu repositum in æde S. Annæ Domûs Probationis Soc. JESU; dein 4. Aprilis, ut supremis tabulis statuerat, navi Posonium devectum, in templo S. Salvatoris (quod etiam post fata se defensurum

aje-

ajebrat) sine funebri pompa more Societatis JESU Religiosorum in crypta conditum est. Celebravit Kollonicium, & planxit eò ipsò annò Schola Humanitatis Viennensis libellò honori Baccalaureorum dicatò, cui titulus: *Echo laudum, & luëtuum ad tumulum Eminentissimi S. R. E. Cardinalis Leopoldi à Kollonics.* Ex eò bonâ veniâ Patriæ Patrum hoc Epitaphium excerptimus:

*Hic jacet oppressus proprio sub
pondere fortis*

*Atlas, quem mundi sola ruina
tegit.*

*Scis tumulum in templo cur Sal-
vatoris adeptus?*

*Nôris ut, hìc Patriæ, quòd
tumulata salus.*



CHRISTIANUS
AUGUSTUS è DUCIBUS
SAXONIÆ,
S. R. E. CARDINALIS,
Archi-Episcopus Strigoniensis.

*Dignitas
Saxonica
Domus.*

QUIDAM ex vero dixit: nasci vel in purpuram, vel in coronam, quot quot ex Serenissima Domo Saxonica nascerentur. Plures tricenis Duces, tres Romanorum, decem & tres aliorum Regnorum Reges, duo Gregorius, & Hadrianus summi Pontifices erant; & quod rarius est, Otthonem in folio Imperii, Hadrianum in Sancti Petri Sede Fratres eodem tempore orbis venerabatur: tot inter Coronas, ac tyaras Romana Purpura diutius hac in domo desiderabatur. Anus demùm 1666. VII. Idus Octobris Christianum Augustum edidit, à quo in eam inferretur. Patrem habuit Mauritium Martis Burgi lectissimum Principem, Fratrem Mauritium Wilhelmum Ducem, Carolum VI. & Benedictum XIII. atque inde penè omnes Europæ Reges, ac Principes necessitudine sanguinis junctos. Plerique

*Nascitur
Christianus
Augustus.*

que ex ejus Majoribus , ab ætate Lu- *Amplectitur*
 theri, errores Lutheri complexi, & *Romanam*
 Authoritate, impensis, atque armis tu- *Religionem.*
 tati sunt. His & ipse innutritus, cum
 unde trigessimum viveret annum se ex-
 pedii. Viribus firmior Cæsarea, in
 Hungaria, castra sequebatur, & Budæ
 expugnationi interfuit, ut prius de *Militat.*
 Hungaria mereretur, quàm ejus bene-
 ficiis frueretur. Profanam subinde
 militiam permutat, & maluisset cili-
 ciò, ac saccò sua tot decora condi, &
 in rigido Capuccinorum ordine Chri-
 stianam militiam auspicari, verùm ma-
 gni consilii vir, & opinione sanctitatis
 florens opportunè monuit, facturum
 è majori DEI gloria, si Saxonicæ do- *Fit Eccle-*
 mûs claritatem, & suas tot insignes *siafticus.*
 dotes Ecclesiæ commodaret.

Hinc delatâ Coloniensê Præpositurâ
 haud invitus acceptat; Dein à Salis-
 burgensi, Eistadiensi, Ratisbonensi,
 Leodiensi, & Monasteriensi Capitulis
 suum in corpus adlegitur. In Hun- *Dein Jauri-*
 garia Jaurini prima Episcopali Mitra *nensis Epi-*
 exornatus, tribus linguis doctrinam *scopus.*
 Christianam in publicum emisit, & sa-
 cros Operarios in culturam animarum
 suis impendiis Tyrnaviæ aluit. Co-
 gna-

gnati Friderici Polonorum Regis, & Mauriti, quem Neostadiensem nuncupamus, ad sacra Romana traductio Apostolicorum ejus laborum grandis fructus est. Quod regnârit Fridericus, Christiani legationi, in Polonia obitæ non parum debet. Colonien-

Adit discrimen Capitis Colonia.

sis Metropolis Annò 1703. destituta capite erat, ne quam patiatur jacturam, omnem in partem evigilans libertatis, & capitis discrimen adit. Emptus, ad raptandum in Galliam manipulus Sicariorum jam Coloniae latitabat; ne scelus perficiant, à centurione Jacobo Caulono Limburgensi detecti, ac latronum supplicio necati sunt. Caulono fidei ergò singulos in annos centum floreni à Principe decreti. Jussus à Cæsare gallicis armis ad inferiorem Rheni oram obicem statuere, intentatam sibi hanc injuriam egregiè ultus est, quando duarum, & septuaginta navium pons eo auctore abreptus est. Quò trophæo communicationem Cæsareanarum, & Anglicarum copiarum conservavit, hostilium distraxit. Bonnam ab ignibus conservavit: Insulis, atque Rhenibergæ, dum expugnarentur, præsens erat.

Alii,

Alii, quos hæ paginæ exhibent, ut ut
 meritis graves ferè alienâ operâ, &
 commendatione, hic propriâ Roma-
 nam Purpuram sibi texuit, inque Vati-
 canam Curiam gradus struxit, quorum
 fundamentum jecerunt natales splen-
 didissimi, fastigium insignia in Rem-
 pub. merita consummaverunt. Nam
 annô 1706. septimô decimô Calendas *Nominatur*
 Junii nullius Principum rogatu, sum- *Cardinalis.*
 ma Clementis XI. voluntate in Car-
 dinalium numerum relatus est.

Relucentibus passim, & Cæsareæ Au-
 læ intimæ cognitis Viri virtutibus, rarô
 exemplô viventi Kollonicio Metro- *Et Condu-*
 politæ Strigoniensi Adjutor datus, & *tor Strigo-*
 Successor designatus, post ejus exi- *nienfis, ei-*
 tum, annô 1707. acceptô cum plena *que succe-*
 potestate, pedô, dum maximè bello *dit.*
 Civili arderet Regnum, nihil prius ha-
 buit, quàm profligato Marte pacem
 revocare in Pannoniam. Regni Co-
 mitiis Josephus primus eum præesse *Praest Po-*
 voluit, in qua functione cognoverunt *sonii Comi-*
 Proceres, videruntque candidum, & *tis, & in-*
 apertum in se pectus. Quare ad mu- *ter Indige-*
 tua officia reddenda provocati, quasi *nas Hun-*
 Indigenam, & Gentilem suum colere, *garia re-*
 atque amare omnes ceperunt; utque *fertur.*
 per-

perpetua istius humanitatis memoria maneret, eam Regni Tabulis inferuerunt. Ut malè contentos à factione abstraheret, suoque Principi redderet, omnes edictò Pontificiò partes deserere, & Cæsaris gratiam, & Ecclesiasticos, qui cunctarentur, ut perduelles, de Pontificis Authoritate, ac assensu Josephi, dignitatibus æquè, & fortunæ bonis exuit. Sæviturum fuerat tum in Religionis Caput, & sacris omnibus discrimen incubuit, dum jus omne in ferro, quod Patriam, Civilémque sanguinem hauriebat. Hic Antistes præsentem populum pabulò Verbi Divini nutrire: inde factum, ut eodem tempore multi & cognoscerent, & pro concione dicentem audirent Metropolitanam. Remotioribus fremente perfidia idoneos Curiones præficere: Quò neque per se, neque Curiones pertingere valuit, commerciò usus literarum, oppressam Ecclesiæ libertatem vindicare, & conductis ære suo tabellariis, ad Religionis tuendæ constantiam confirmare. Jacuerant sæpè infra pauperiem abjectæ animæ, & sola spes, ne perirent alebat ignaras felicitatis. Tuguria, obstitasque

*Acta Archi-
Episcopi.*

que squallore ædes major omnibus in-
visebat. Tyrnaviæ instituit, ut mi-
graturæ ad æternitatem animæ, de-
ductô per vicos cum publico comita-
tu, & populi veneratione, pane for-
tium muniantur, quin latentem sub Fa-
re DEUM ad Casulas secutus, plateas
emetiebatur, ut discerent Cives à Prin-
cipe, quantum suo debeant exemplo.

Mirum est, quàm scitè, elegan-
térque sacris, & aris operaretur, à
puero castris, & armis assuetus: ne-
minem ad curationem animarum pro-
gredi sivit, qui antea piis coñmentatio-
nibus, atque exercitiis mentem non
excoluerit: neque veteranis parœcis
sedes mutare indulgebat, nisi quæstio-
nibus probati, novum scientiæ Eccle-
siasticæ specimen darent. Cum am-
plissimæ Strigoniensi Provinciæ, unius
opera satis non esset, ut in Ter-
ra Scepusiensi, locisque finitimis, Epi-
scopalia munia exequatur Præsul Bel-
gradensis, cognomentô Natali, de suo
sumptum præbuit. Hâc industriâ
plures Aræ, atque Tempa desecrata
usibus pristinis restituta, Christiani
Sacramentô in fide confirmati, luce
optimi exempli plagæ illæ illustratæ
sunt.

sunt. Magnam Præsul hinc animi voluptatem cepit, majus tamen oblectamentum montanis Civitatibus ipse attulit, dum iis, ceu insperatus sol exoriretur; existimare poterant animi causâ, ad sanctam Crucem, Oppidum Archi-Episcopalis ditionis, profectum fuisse, ille pastoralibus laboribus, & Sacramenti Confirmationis dispensationi præcipuè plures dies impendit. Ibat in reductas ab hominum communione parœcias, ne ignorarent mortales etiam miseri, quantus Hungariæ in Purpurato hoc Patre sol obtigisset. Cremniczii incredibili Orthodoxorum lætitia, supplicationi Ferculum Eucharisticum prætulit; alibi velatum sub pane DEUM inter mille, ac ampliùs cereorum luminaria, & teneros concentuum modulos, per plateas de genibus adoravit; ubique Religioso instituto subditos Viros quanta licuit pietate coluit, & non solum paternam iis, quando res ferebat, operam impendit, sed Thallense etiam Cœnobium splendore digno Principe excoluit, Cellensem, Thallensemque Virginem binas velut amoris thesseras

Ejus munificentia.

ras muneribus ditavit, ut sibi, aliisque Patronam, Matremque efficeret. De prædicat munificentiam ejus Carthusia Colonienfis in integrum restituta, laudare non desinit tam virtute Religionis, institutique observantiâ, quàm Nobilitatis progenie Spectabilis (mirum providentiæ Divinæ opus) Sodalitas Theatinorum Viennam Austriæ introducta, inque sumptuoso Principis Palatio munificè collocata. Eandem virtutē comendant quotidie inopes largè adjuti, Tempa non pauca restaurata; inter quæ Civitatis Strigoniensis primum sibi locum jure vendicat. Commendat pretiosa Corporis Dominici umbella Archi-Capitulo cum universis vestimentis Pontificalibus donata. Adde lapidibus constratas plateas Tyrnavienses.

Bellū in Hungaria lues pestifera ex cepit. Ruebat oppressus acerba nece Civis, egit rursū Eleemosynarii, Borromæique facinora, & cum per Cæsaris mandata prohiberetur ne media inter cadavera Posonii luctaretur, reliquit ærarium, unde de medela prospectum iret: Divini Verbi Præcones, qui languentem erigerent populum
insti-

instituit; fame laborantibus quid quid licuit fortunarum erogabat, ne bis perirent, aut diutissimè fame morentur. Sic se probabat Patrem, & amicò plus egit, dum sudorem suum inter belli pericula, inter luem pestiferam, inter pauperiem populi vertit in medicinam, neque se dilexisse arbitratur, nisi dum premeretur Respublica semet pro tutela offerret.

Universitatem Tyrnaviensem unicè dilexit, atque protexit: nec satis ei fuit propugnaculum illud fidei defendisse, cum caput extolleret hæresis, cupiditatésque suas in eam acueret, & laxaret, ad Imperatorem, Regémque sine mora profectus tumorem, & ambitionem hæreseos elisit. Animi causâ sine famulis, sine aulico comitatu, non rarò, in suburbanò viridario miscebat se ejus Professoribus, scholaribusque mista Majestati mansuetudine, & quasi obsequi anhelasset, vultu in leges officii composito. Sacra Tribunalia (quæ Consistoria dicimus) stipendiis annuis Judicibus attributis, aded Tyrnaviæ, & Jaurini redintegravit, ut recens erecta dici possint. Ipse quandoque ea regebat,

*Religiosa
acta in Val-
le Mariana.*

atque moderabatur. Habitum, & cultum vestium magis convenientem, tum in universum Ordinem Ecclesiasticum, tum in Archi-Capitulum Strigoniense vel induxit, vel pro dignitate, & classe quaque definiit. Ut vastissima Archi-Diœcesis, & Sacra Collegia inspiciantur, ac visitentur, curavit. Fide, aut magis amicitia adversus Domum Austriacam eminebat, quod nulli antehac Archi-Præfulum Strigoniensium obtigerat, Imperatorem Romanorum jam creatum, in Regem Hungariæ unxit, utq; *Coronât Cæsarem VI.* ungi velit, cum octo supra viginti Proceribus, ac Nobilibus Hungariæ ad Viennensem Aulam legationem obiit.

Duobus post annis Augustam Elisabetham quoque Coronâ Pannonicâ exornavit. Expetebant ab Antistite *Ergâ miseris vos charitas.* alloquia pupilli, viduatæ parentibus proles fores sollicitabant adedò feliciter, ut causâ ceciderint nunquam, vacui munere iter nunquam remetirentur. Ad summum etiam Cæsaris Tribunal advocatum se pro iis stitit, ut & virtute, & dignitate misellorum Patrem se probaret. Apud eum

*Alia Reli-
giosa acta.*

præterea opem certam habuerunt, quicumque è Turcis, Judæis, Hæreticis ad Romana Castrâ, & sacra transiêre. Erat Protector Germaniæ, unâ & Sodalium Ordinis S. Pauli I. Eremitæ. Apud hos in Valle Mariana suum in domicilium ædes struxit, in has seu recreandi ex laboribus pro Republica animi causâ, seu, ut Virginem Matrem, quæ illic pium in populum beneficia largiùs spargit, curis vacuus prolixius veneraretur, se sæpè numero inferebat. Hic diutiusculè demorabatur. Dum statis horis Religiosi piò institutò in triclinio se se cæderent, Princeps, in qua degabat cella, delicatos artus laniabat. Hanc cellam à morte Principis excutientes, asperum cilicium, & alia istiusmodi crudelitatis instrumenta feratis aculeis horrida reperêre. Ut veste in totum ab iis non discederet, quos piæ vitæ institutò expresserat, candidum Sodalium Sancti Pauli Cultum indutus hic incedebat. Domos, quas Curias dicunt Archi-Episcopales Pofonii, Tyrnaviæ, Rakosii instruxit, non ad luxum quidem, ad magnificentiam tamen, atque honestatem
eam,

*Ædes stru-
it.*

eam, quæ non dedecet deinceps
 Archi-Præsules Strigonienses, & ex
 hoc tempore etiam S. R. I. Principes; *Titulus*
 quam quidem dignitatem à decesso- *S. R. Imp.*
 ribus aliquoties sollicitè, ast semper *Principis*
 incassum quæsitam, suis pro meritis, *Strigoni-*
 labore, ac impensis tandem feliciter *ensis Archi-*
 acquisitam grati recognoscent suc- *Episcopis*
 cessores. Jussus Ratisbonæ pro Cæ- *impetrat.*
 sare Comitata regere, qualem se præ- *Præst pro*
 buerit, publica Imperii monumenta *Cæsare Ra-*
 loquuntur. Dum alii in rugas colli- *tisbonen-*
 gere frontem sueverant, sudam sem- *sis Comitiis.*
 per, amicamquæ faciem porrexit, ut
 nemo non speraret damnandum se
 votorum, ubi precibus petebatur,
 aut certè, cùm per negotia non li-
 cuisset, ut ultrò citròque sermonem
 faciat, moras jucundissimas impetra-
 ret. Familiare ei fuerat à domo ar-
 cere neminem, ut comem se largi-
 retur omnibus, publicum velut asy-
 lum miserorum ædes suas fecit; ser-
 monis copia, oris suavitate, decore,
 sapientiâ, atque adversùs omnes be-
 nevolentia, in illo sæpè differentium
 opinionum euripo tranquillitatem af-
 seruit, & grande Imperii corpus, tot
 membris non rarò invicem dissidenti-

*Moritur
Ratisbona, 1725.
& sepelitur
in Valle
Mariana.*

bus fluxum animorum unione egregiè firmavit. Hæc cum ageret annò 1725. Ratisbonæ diem ultimum obiit. Cadaver secundò Danubiò Pofonium imprimis, in Marianam dein Vallem Templo Sodalium S. Pauli, queis in vivis infueverat, illatum, & sepultum est, ubi Deiparam plurimis Officiis percoluit.

E M E R I C U S
 è COMITIBUS CSAKI,
 S. R. E. CARDINALIS,
Archi-Episcopus Colocensis.

*Emerici
stirps à Szabolch, qui
fuit inter
7. Duces
secundus.*

Emericus Csáki, quidquid Laudum in magnorum Hungariæ Cardinalium gestis legimus, in sese quàm diligenter, tam feliciter exprimere studuit. E Regum stirpe teste Ferrario oriundus; an, quæ obtinuit sententia, ad septem, & quod superat sæculorum inclytum Heroëm Szabolch Ducem Hunnorum Ceras referat? non est quod multis discutiatur: quandoquidem utrâque parte ipsas priscae vetustatis tenebras, nunquam interrupta serie Virorum pace, bellòque, & sacra, profanáq; in Republica celeberrimorù

hæc

hæc stirps est supergressa. Illud palâ est, quòd cum varios coronatos vertices sanguinis communionè attigerit, tum Barbaræ Csákiaæ cum Mantuano Du-
 ce Gonzaga connubiali fœdere, Augu- *Omni ætate*
 sta Ferdinandi secundi Imperatoris af- *Viros cen-*
 finitate genus suum illustraverit. At- *suerunt in*
 que hac cum generis claritate, ve- *utraq; re-*
 luti, si cum fati sancitum esset, ætate *publica or-*
natissimos.
 omni, excepta una Throni Majestæte, amplissimos quosque Ungariæ Magi- stratus, pietate semper orthodoxâ, Consiliis, vigilantia, fortitudine, & si quæ aliâ exigunt decora hi honores, exornârunt potiùs, quàm ab iis accessionem rebus suis desumpserunt. Hos inter Stephanus, qui 1376. Abbatiam Csaktornyensem fundavit, & pariter Ladislaus 1435. Transylvaniae Vajvoda in se omnium ora, atque oculos convertit, séque venturis sæculis vel inde probavit, quòd sua in Aula Hungaræ felicitatis, & gloriæ lumen illud Joannem Hunniadem, qui unus Mahometis II. potentiam contunderet, educaverit: tum Dionysius, & Petrus, Palatini munere pro tanti nominis incremento feliciter sunt defuncti. Georgius 1566. cum incomparabili

Viro Nicolao Zrinio Szigethum adversus conjuratas Orientis sub Solimanno vires propugnavit. At verò Demetrii Martia virtus postquam fortitudinis fama Europam replevit, Asiæ quoque non limites modò, sed remotissimas gentes victoriis peragravit; ita hic belli, quod Religionis ergò suscepit, Sed nec minore in commune Patriæ commodum emolumento alii Judices in tribunalibus, alii in armis Duces, alii denique in Ecclesia Episcopi desudaverunt. Quantum verò illud, quòd Profapia hæc, fœcunda illa semper Heroum Parens, eos etiam exhibuerit: in Mauritio, & Carolo, virginitatis Lilia, & Confessorum adoras Cœlo inferentibus, quos jam aris impositos, & Sanctorum numero adscriptos duos in quartum sæculum Hungaria veneratur. De quibus quoniam propositum non est tractandi, verba indiculi Martyrologii ordinis Prædicatorum, quem illustraverunt, adjecisse sit satis: *Fr. Mauritius Ungarus, Nobilissimo Regum sanguine ortus, cum tres annos cum uxore persanctè vixisset, consensu mutuo, illa in Monasterium Sacrarum Virginum, ipse in*

Predicatorum Religionem se recepit, tantòsque in virtutibus progressus fecit, ut miraculis illustris in Hungaria pro Beato colatur. Vixit supremùm

millesimo tercentesimo trigésimo sexto 20. Martii. Sic longè pulcherri-

mò spectaculò à vitæ sanctimonia, fortitudinis exemplis, constanti justitiæ tenore ad sacratoris purpuræ Ma-

jestatem parturiente quasi septingentis annis natura, & in tot Heroibus

delineante exempla, parabatur transitus; ut unus effingeretur Emericus.

Suscepit prolem tantam Stephanus, Judex Curia Regiæ, ex lectissima Con-

juge secunda, Barone Clara Melich, &

millesimò sexcentésimò septuagesimò 2dò. V. Calend. Nov. Scepusiensi in

arce in lucem edidit, cum jam spem hæredis omnem multis annis improlis

Mater positura videbatur. Quod tamen priusquam ageret, consueta sibi

pietate cœli favores expertura voti religione se obstringit, si quem enite-

retur, cultui Divino se se arctius devoturam. Sensit haud ita multò post

auditas cœlò preces, votique rea puerum Cleri veste indutum, aris denique solenni ritu mancipavit. Plures

*Progenitores Emerici, & nati-
vitatís tempus, ac locus.*

Votò illum conceptò Mater impetrat, & DEO dicat.

triplici ex Stephani Hymenæo efflo-
 ruerunt palmites, & ex primo quidem
 Sigismundus Sacræ Cæsareæ Majesta-
 tis Consiliarius Actualis Intimus, Tha-
 vernicorum Regalium Magister, &
 Aba-Ujvarinensis Provinciæ supre-
 mus (ut vocant) prius Comes; ex alte-
 ro verò, præter Emericum, Georgius
 legionis equestris Nationis Hungari-
 cæ Tribunus, nec non Generalis
 Campi - Mareschalli locumtenens,
 tum Mareschallus. Ex Maria demum
 Comite Bârkoczia Excellentissimus
 Comes Nicolaus, uti virtutum Eme-
 rici, ita & Varadinensis Tyaræ Suc-
 cessor, quæ quadrienniò à morte Emi-
 nentissimi Cardinalis fulguris instar
 duorum decurrit Præsulum vertices,
 ut fraterna rursus conquiesceret in cu-
 ra, & incingeret caput. Vix præ-
 textam posuerat Emericus, cum libe-
 ralibus Cassoviensi in Academia arti-
 bus admotus, quantò reliquos Nata-
 lium splendore, tantò solertis ingenii
 perspicaciâ, discendi contentione, at-
 que adedò profectu æmulos anteibat.
 Junxit literis castigatam morum pro-
 bitatem, maturam præ, quàm ab ea
 ætate sperari possit, morum conforma-
 tio.

*Cassovia li-
 teris, &
 virtuti ope-
 ram navat.*

tionem, moderationemq; tantã animi,
ut admirationi unã, & venerationi ef-
fet non Seminario solùm Clericorum,
in quo educabatur, sed Athenæo toti.

Severiores porrò excepturus disci-
plinas, exeunte Anno 1688. Viennam
concessit, Pazmárianum Collegium *Vienna Phi-*
Convictor illustraturus. Cessit ex *losophiam*
animi sententia felix conatus in Phi. *audit.*
losophica Trieteride, & privatos tan-
tùm inter parietes hæctenus coërci-
tam virtutem suam Cæsarea palam fe-
cit in Academia, Thesis propugna-
tis, ac Cæsari dicatis. Romã deinde ad *Theologiam*
sacratiora Theologiæ arcana perscru- *Roma ubi*
tanda in Collegium Germano-Hun- *etiam Pon-*
garicum Alumnus venit, quæ etiam la- *tifici Max.*
pſis annis, sub eleganti icone Inno- *Theses suas*
centio XII. inscripta, in numerosissi- *inscribit.*
mo sapientum confessu itã est tuitus,
ut horum quidem secundam acclama-
tionem, Sanctissimi verò Patris omnes
in se amores converterit, ac mox *Laurea*
Theologicã laureã coronatus sit. *Theologica*
Iconem scalpro subjectam sum- *ornatur.*
ptu propriò Comitibus, quod attinet:
supernè geminos inter coronatos ver-
tices, hinc Magnum Cæsarem Leopoldum,
inde Regem Hungariæ Josephum

phum Filium, suum ipsum Orbis totius Sacerdotem Innocentium ostentabat. Parte reliqua octo Regni Apostolici victorias, tribus proximè lustris ad Strigonium, Budam, Szegedinum, Agriam, Szálankamenum, Ujvarinum; in omni item Serbia, & Sclavonia Ducibus: Serenissimo Poloniarum Rege Joanne, Maximilianò Bavarò, Carolò Lotharingò, Badensi, Duñewaldò, Veteraniò, Caprarâ, Battyániò, & Stephanò Csákiò Purpurati nostri Parente barbaro extortas referebat. Quæ quidem victoriæ ut illustraverint Heroem dictum Stephanum, non tamen ejus facinora absolvunt, nisi quis nesciat, ut reliqua taceamus, Viennensi in obsidione decumanos exantlatos labores, & Magno ipsi Leopoldo tanti æstimatos, ut Prætorii Cassoviensis honore, atque Cassoviensis Generalis, ut tunc vocabant, autoritate remunerandos censeret.

Atq; ita ut ad Emericum revertamur, jam literis omnibus excultum, suum illum vindicat natura, quæ tanto tempore formaverit, suum repetit ars, quæ mirè perpoliverit, suum deniq;

re-

repositum cœlum, è quo donatus jure potiori videri potest, quàm natus; utpote quem serius improlis Mater ediderit. Sacrà deinde, profanáque scientiâ, ut cognomini utrique Reip. emolumento, sæculis verò foret ornamento, instructus, duplicique auctus honore Româ revertitur: Abbatibus nimirum B. Virginis **MARIÆ** de Curru, & Canonici Agriensis. Atq; ut in Patria se honorem Purpuræ conseruisse magis, quàm ambivisse posteritati palàm faceret, ab infimo ad Eminentissimum gradum virtute propria eluctandum putavit. Hæreseos itaque vepribus horrentem, foedèque lacerum agrum Cassoviensem ingressus, trienniò integrò desudavit, omnemq; muneris sui partem rariore quadam industria non tam explevit, quàm auxit. Viâ veritatis quàm plurimos edocuit, ut commodius sequi possent, prospexit, ut auderent, autoritate persuasit, & ut amplecterentur, majore cum affectu vi dicendi, qua pollebat, permovit. Atque ut paucis hic omnia complectamur, eum se præbuit, quem amarent, observarent, colerent, & æternum sibi habere cup-

*Fit Abbas
B. V. M. de
Curru, &
Canonicus
Agriensis.*

*Triennium
Cassovia Pa-
rochus exi-
git.*

perent boni omnes, metuerent improbi, vererentur Primpili sectarum, & cujus non poterant egregia cavillari facta, tacito quodam stupore percussi pertimescebant vigilem pro domo DEI solertiam. Advertit imprimis Leopoldi Cæsaris pientissimi hic famâ suâ non minor, Pastoris fervor studia, atque ut afflictæ rei Catholicæ mederetur, Præpositura primùm Posoniensi, mox Varadinensi Insula, ut pios conatus erigeret, auxit. Et verò nihil expectatione minùs præstitit, in eo etiam vota superavit, quòd cum aperta vitæ suæ pericula strui à lymphatis sectariis non nesciret, nequidquam tamen monentes, ut in feliciora tempora vitam, & vires conservaret, audivit; sed innata Csákiis constanti generositate, ex ipsis, quibus frangi poterat, adversitatibus emicabat fortior, & triumphos necebat plures. Grande hoc in Emerico, afflictissimo præsertim eo rerum tempore, videri poterat; nisi generi Csákiano æquè congenitum sciremus, nullâ unquam hæreseos labe pollui, ac infractis eandem conatibus impugnare. Quàm verò in Reges etiam

A Leopoldo confertur illi Præpositura Posoniensis, & Episcopatus Varadinensis.

Hæresim etiam cum vitæ periculo impugnare pergit.

illimem per tot sæcula fidem conser-
 vaverint, ne remotiora repetamus
 documenta, civilibus facibus conflagrantis Patriæ ruinis eo suos humeros
 successu subjecit, ut averfos plurimorum à Rege animos flecteret,
 & adversæ partis Procères ad mitiora consilia inclinaret, Regémque inter,
 ac Regnum concordiam viis omnibus procuraret; Majorum insistentes
 vestigiis, è quibus Stephanum Transylvanum millesimus sexcentesimus
 septuagesimus quintus añus hac in palæstra, supra, quàm dici potest, exercitatum
 habuit in Hungaria; quò factum, ut delictum illud Hungariæ Josephus
 Paternorum favorum successor, & æmulus, quò latius, efficaciusque
 gemina hæc studia porrigere posset Emericus, eundem Pauli Széchényi
 morte lugenti Ecclesiæ Colocensi Archiepiscopali pallio ornatum Pastorem
 dederit, retineréque simul jufferit aliud munus Varadinensem Mytram.

*Josephus
 Imperator
 Archi-Episcopum
 Colocensem
 dicit.*

Nec spe sua delusus Josephus, vidit
 breví, & lætatus est oppida templis,
 templa Curionibus postliminiò quasi
 revocata pietate, Religionéq; reflorescere.
 Pauca è plurimis delibasse sit factis;

*Quid eo in
 munere
 egit.*

tis: Episcopium Metropolitana cum Ecclesia Urbi suæ restituit, Collegium Canonicorum auxit numerò, & fortunis, vicinis ampliùs parœciis sectarios movit, substitutis impigris veritatis præconibus, sacras Familias, quarum singulas efflictim diligebat, magnis ubique adjuvit subsidiis, & ex his Capuccinos Varadinum, Patres, quibus à Piis scholis nomen adhæsit: millesimò demum septingentesimò decimò quintò, virtute Csákia superatis obicibus, & mille difficultatum ambagibus, quas omnem movens lapidem hæresis, ceu si ultimum pro aris, & focus hic decertaretur, objiciebat, contractisque adamantinis repagulis, quibus via hætenus omnis Romanis sacris obstructa fuerat, Debrecinum induxit, eosdemq; templò, quod splendore oculos perstringeret, & tantum addeceret Præsulem, ditavit. Quot ad hæc latè per Hungariam vetustate collapsa restituit? quot à ruinis vindicavit? quot sacra supellectile instruxit? quis sit recensendo?

Non totum Regnorum regimini parem ità hæ curæ occupârunt Emericum,

*Debrecinū
arcem Hæ-
reseon PP.
Piarum
scholarum
inducit, &
iis domum,
Templūmq;
adificat.*

*Ejus in rem
sacram stu-
dia.*

ricum , quin subitis maximè in casibus , consiliorum promptitudine felix Consiliarius intimus, jam Carolo etiam Augustissimo Cæsari sæpius adesset, providaque in paucis industriâ vulnera consanaret Patriæ, Regem Regno, & turbatores pacis, quietisque clementiæ Augusti conciliaret. Et meditabatur dignum munus tantis sudoribus Carolus, cùm millesimò septingentesimò decimò sextò, turbatis rebus exteris, consilia differre est coactus: nam ad allapsam famam de ducentis barbarorum millibus, supervenere cum literis Pontificiis preces Venetorum, quibus fatiscenti Reip. discriminique Italiæ totius, ut subveniret, rogabatur. Verùm suffragari pio Cæsari in favorem Emerici cœlum videbatur, quod hostem, ad cuius rumorem totâ trepidari cœptum erat belli aleâ, brevis intercapedine temporis Temesiâ, & alterò mox añò Tauruniâ cum ingenti clade, & jactura nervi omnis bellici dejecit, orbemque simul Christianum lætitiâ triumphorum complevit. Repetiit illico vota sua Carolus, & rei ad laudem actæ ab exultante Clemente XI.

Carol. Imp. sacram Purpurâ Emerico à Clem. XI. P. M. impetrat.

coro-

coronidem imponi Apostolici ad ornamentum Regni, Emericum nimirum Purpurâ decorari exoravit. Illuxerat 12. Julii millesimi septingentesimi decimi septimi, quô Beatissimus Pater, Cardinale Joanne Baptista Ptolomæi, Viro à multiplici virtutum genere, elucubratisque foetibus ingenii orbe toto clarissimo, pro Emerico nostro coram Purpuratis Patribus nervosè perorante, quod secretò in pectore statuerat, id primâ Octobris ejusdem anni in amplissimo Patrum senatu hisce palàm fecit: *Venerabiles Fratres! ut Hungaricis*

Verba Pontificis in laudem Emerici.

etoriis plenior hac die letitiæ cumulus addatur ad gloriam Omnipotentis DEI, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ utilitatem, ac decus palàm hodie evulgare, ac declarare intendimus illum Cardinalem, quem in Consistorio secreto diè duodecima præteriti Mensis Julii habitò creavimus, & in pectore reservavimus, videlicet: Venerabilem Fratrem Emericum Csákium Archi-Episcopum Colocensem. Congruum enim, ac valde opportunum existimamus hoc tempore Hungaricum Præsulem non tam generis claritate, quàm virtutibus præstan-

tem

tem amplissimo Ordini vestro adscribere, ut tam ipse, quam alii illius Apostolici Regni Episcopi, ad agrum sibi creditum excolendum, nunc maximè alacriores reddantur, cum messis amplior majorem Operariorum sedulitatem exquirat; ipsumque Regnum, speciali quodam jure, huic sanctæ Sedi additum, quippe: quod jam dudum ei à Sancto Stephano Rege oblatum fuerat, novò hòc Pontificiæ largitatis argumentò letari valeat. Opinione celerius, fama hæc Hungariam pervagata uberrimos victoriarum fructus cumulò lætitiæ auxit, spémque fecit omnibus fore, ut sydus hoc Hungariæ, purpureo in terris insertum cælo, novis identidem in Religionem incrementis, in Regem meritis, decoribus in Patriam effulgeat. Hyemis tamen asperitate factum, ut Biretum rubeum Maffei Abbas non nisi sequentis anni vere apportaret. Vienne, quò deinde, festivos inter Aulæ plausus, ritu solenni, sacratum verticem Augusta dextera incinxit. Favori tanto gratias laconica dictione Cardinalis habuit, qua simul est contestatus, vitam à se reliquam tum pro-

pugnationi Ecclesiæ, tum Cæsaris obsequiis, tum Apostolici Regni commodis devoveri ad ipsius usque, quem Purpura designat, sanguinis profusionem.

Quæ deinde Eminentissimo Principi Viennâ reduci, ab omnibus latè per Hungariam Proceribus publicæ, privatæque gratulationes, & honores sunt habiti, ex uno Agriensium Excellentissimo Antistite, Gabriele Antonio Erdódio pronum est conjecturâ assequi. Turmas hic equestres, pellibus tigrium, & pardorum, ad Martium horrorem splendidas obviam præmisit, media in Senatorum, & Canonicorum ipse corona, ad portas Urbis consalutatam, creberrimos inter scloporum sonitus, Episcopalem in Aulam lectissimis ornatam conopæis deductum, dies aliquot hospitem est veneratus. Cùm ad integrandam, degentium in Sclavonia schismaticorum unionem cum Ecclesia, deflueret Danubiò, Buda addidit bellicarum machinarum è suggestibus mœnium tonitrua; Cassovia, dum eam subiret, Germanicam, Italicam, & Civilem militiam in aciem explicatam,

*Agria nova
dignitate
auctus salu-
ratur.*

tam, cum sublatis, ac sæpius displo-
 sis in venerationem sclopis. Dum urbi
 succederet, ad radices proximi mon-
 tis, hinc à militiæ Præfectis, inde ab
 equestri Abaujvariensium, suæ sub Pro-
 vinciaë signo collectorum ordine, in
 apice à Curatoribus Regii ærarii, ad
 impositi Hernado pontis Caput ab ur-
 bico senatu salutatus est. Incumben-
 tibus primis tenebris inter collucen-
 tes faces, præcedentibus aperto Ca-
 pite honorariis, & mercenariis auli-
 cis, in præcipuas Cassoviaë ædes de-
 ducitur. Ante earum fores, dum hic
 dimoratur, excubabat militum cen-
 turia cum vexillo. Adibant manè ad
 salutandum quotidie, militiæ juxtà,
 & quæsturæ Præfecti, ac domo pro-
 deuntem affectabantur. Quam So-
 cietas JESU insigni mole præcipuam
 habet campanam, Ecclesiæ Cærimo-
 niis Sanctissimæ, & Individuæ Trini-
 tatis gloriæ, Beatissimæ Matris Vir-
 ginis in Cælos Assumptæ honori sa-
 cravit, & à S. Donato appellavit. Sa-
 cro D. Theresiæ die, pro incolumitate
 Eleonoræ Magdalenæ Theresiæ, Vi-
 duæ Imperatricis, singulari apparatu
 in Academica Ecclesia litavit. Ut

sua panderet, aliena incitaret in longævā ejus vitā gaudia, palatium, in quod diverterat, magnificè illuminavit. In suggestu ex adversò, suavibus modulis populi aures permulcebat Symphonicorum chorus, & rubrum, albūque falernum, ex sublatis in altum doliis, defluens adcurrentes reficiebat.

*Nobilium
filios vera
arte Catho-
licis sacris
imitiat.*

Secundū indefessum Religionis studium, utilitatibus, & ornamentis Regni se totum dedit, sapientique planè consilio, plurimos Optimatum heterodoxorum filios, priusquā materno cum lacte hausta hæresis altiores ageret radices, delegit, ut viderent Aulas Antistitū domiciliū esse eruditionis, & officinā virtutum; in quibus, quanta esset legū sanctitas? quis virtutibus honor? quæ vitiis infamia? quotidiano acciperent sermone, & oculis usurparent, quæ ipsi cum ætate ipsa in mores suos traducerent, olim religione superos, fide Principes, charitate Patriam præ reliquis ornaturi. Ità numerosissimæ famulantium turbæ dulcissimos jam tunc legebat fructus, secessiones nimirum à castris sectariorum, per quas uberiora

riora hodie lætamur incrementa, postquam integras jam abiêrunt in primæ notæ Nobilium familias surculi memorati. Et horum quidem non pauci cum sanctioris vitæ initiis fortunas, dignitatésque Principi nostro in acceptis referunt gratissimi. Consueverat enim Purpuratus hic Patriæ Pater, exiguô quantumvis obsequiô de se meritos muniis, quibus pares observaverat, opera omni admove-
re.

*Eosdem publicis officiis admo-
vet.*

Alterum post heterodoxos servitiorum genus Symphoniaci absoluebant, non tam innocuæ animi oblectationi, & aurium illecebris destinatum, quàm ad festos, profestósque Cœlitum dies, verni item jejunii ferias, & qui Decembri Mense Dominico adventui sunt sacri; tum memoriæ mortis Domini triduum, & si quid prætereà superat, celebriùs exigendum. Quô insuper triduô, cum ipse frequens Eucharistico coram Numine, plures exigebat horas, tum, ut fors obtigerat, quibusvis, Ephœborum duos sibi succedere, non interrupta serie, præter Aulæ turbam reliquam, & frequentem pauperum gregem, ad quem

*Artifice musica delectatur.
& Cœlites imprimis honorat.*

Pius in Eucharisticum Numen peculiariter fuit.

*Largus in
egentes om-
nes praci-
pue Nobiles,
& Religio-
sos.*

sæpius ære gravis invisebat, voluit. Ità horum egestatem largitionibus, omnium pietatem exemplò incendere, roborarèque in more habuit.

Indicia hæc sunt profusæ prope-
modum liberalitatis, in sparsa ubique
mendicabula, in egentiores anima-
rum Curiones, in varias familias Re-
ligionem professas Pestini, Varadini,
Pofonii, & quocunque Principem
hunc (si, quod fuit, dicere liceat)
pauperum Patrem venire contigit.
Prædicant adhucdum superstites non
pauci, à stirpe, quàm à fortunis cla-
riores, quos victo demùm pudore, ad
stipem petendam necessitas adegis-
set, nisi communi in hoc egentium
portu anchoram deñixissent. Qui-
bus, cum ære alieno oppressos orpha-
nos, viduásq; addimus, non tam libe-
ralitatem, quàm agros indigitamus,
in quos, quò copiosiore jaciebat se-
mentem, hoc celare voluisset magis,
si gratias referentium ora æquè, ac
aurum in potestate habuisset. Hac
insuper ex benignitate fluxit id, quod,
cum Præfectorum quempiam in dati,
acceptique rationibus non pauca de-
bere comperisset, non modo nullâ
pæ-

pœnâ culpam ultus sit, sed damna nequidem sarciri parte ulla voluerit.

Verùm è privatis, quæ altiore quadam mentis indole, Eminentissimus Purpuratus posteritati clam esse voluit, ad ea, quæ in publicum, seu consuluit sapientissimè, seu gessit ad Nominis Gloriam, delibanda gressum referimus. Instabat tempus, pro illato terræ Clem. XI. suffragiis collocandi alium, in Apostolico throno. Ad or-

It Romæ ad electionem Pontificis.

nandam profectioem in Urbem, delegit ex Hungarica juventute Nobiliores, in quibus eminebat Eminentissimi Frater Nicolaus, nunc Varadinensium Antistites, ut jam indicavimus, & Emerici virtutum sectator. Ut visus est Emericus Romæ, pulchri Cardinalis à populo cognomentum abstulit. A Collegis, in decora animi potissimùm inspicientibus, postquam Principem familiaris novêre, aliquot suffragiis ad implendum Pontificium solium vocatus est. Summi Pontifices præsentis, & absentis sapientiam, ac tractandarum rerum peritiam laudibus extulerunt. Iterum eadem ex causa iter ineunti Romam, suspicio serpentis per Germaniam con-

tagiosæ luis, adita in Italiam clausit. Revertit in Hungariam, quò eum indicta in millesimum septingentesimum vigesimum secundum comitia revocabant; qua esset hic in Patriæ fortunam sollicitudine, quò in Austriacam Domum studiò, ac fidelitate, luculentè docuit: quando pro fœminea Caroli Cæsaris progenie, in Hungariæ throno locanda, non modò commune cum Proceribus suffragium tulit, sed superæ Hungariæ Proceres, ac Nobiles obît, atque, ut in eo locandam velint, permovit. Eodem in negotio Legatorum Regni, qui pronam omnium voluntatem ad Aulam referrent Princeps constitutus, Provinciam eam insigni sapientiæ commendatione gessit; lætúmque hóc Nunciò August. Cæsarem paulò post Posoniù adventanté in cognomine Arce salutavit. In iisdem porrò comitiis postulatibus heterodoxorum omnibus, eorundémque machinationibus occurrit. Neque hoc ulli erat tam facile, quàm Eminentissimo Csákio, qui apud Regni Ordines autoritate, apud Cæsarem gratis florebat, & prope unus omnia poterat.

*Fœminea
successio in
Hungariã
ut induci
posset, agit.*

*Legatus
denominatus ad Augustum it,
& eundem
Oratione
Posonii salutatur.*

Pietatem, ad quam à natura factus *Virtutes*
 videri poterat, voluntate exercuit, *reliqua*
 consuetudine firmavit: nihil majoris *Emerici.*
 momenti aggressus unquam, quin se
 suppliciter DEO commendaret, quò
 factum, ut admirabili libertate, in pu-
 blico confessu nec dixerit, quod ta-
 cere, nec tacuerit, quod dicere oportebat.
 Præter incensum hoc rerum
 Divinarum studium, fuêre & cætera
 virtutum ornamenta Eminentissimo
 Principi prorsus domestica: quæ ta-
 men popularitas, magnificentia, co-
 mitas, facilitas propemodùm extin-
 guunt, dum ora omnium, & admi-
 rationem eripiunt. Interim hoc li-
 teris, posteritatique tradetur: hoc
 per omnes ætates celebrabitur, Eme-
 ricum Virum fuisse genere, doctrinâ,
 integritate, gravitate, fide, digni-
 tatéque maximum; qui Religionis
 conservandæ cupidus, honori Divino
 viis, quâ posset, omnibus prolatando
 semper intentus, perennitatem nomi-
 nis multò sibi conciliavit illustrius,
 quàm ut commendatione scriptorum
 possit attolli. Piissimus ejus obitus, *Mors ejus-*
 annò sæculi hujus secundò, & trice- *dem, &*
 simò, ipsa Divo Augustino sacra luce, *exequia.*

Ecclesiam Hungaricam vi doloris tantò majori perculit, quantò incredibilem Augustini pietatem, & invictam in edomanda hæresi constantiam, ardentius per vitã fuerit æmulatus. Luxit proinde Ecclesia Principem Divinĩ Cultũ, veræq; Fidei studiosissimum, luxit grandis Heroum domus, Csákiorum familia ævi sui, & generis gloriam; luxit universa Patria sublatum Sacrorum Vindicem, communem omnium Parentem. Corpus ineunte Aprili, anni insequentis Debreczinum delatum, pretiosi instar thesauri Piarum scholarum Patres acceperunt, & operante ad aras Emerico Lusinszkio, Varadinensis Mytræ successore, magno doloris sensu parentârunt, & tumultò condiderunt. Atque ità præmatura Hungariæ incrementis morte Eminentissimum Principem, in quo bini Orbis totius supremi Sacerdotes, Innocentius XII. & Clemens XI. cum tribus gloriosissimis Hungariæ Regibus, & Romani Orbis Monarchis, pro meritis exornando laboraverunt: dies una non tam tumulo intulit, quàm perenni in terris memoriã victurum cœlo transcripsit.

M I C H A E L

FRIDERICUS,

COMES AB ALTHANN,

S. R. E. CARDINALIS,

Episcopus Vacziensis.

Michael Fridericus vetustissimæ, *Ortus, &*
ornatissimæque Althanniorum *prima ætas*
Profapiæ grande Sydus, Glaczi in Bo- *Michaelis*
hemia 1682. XIII. Cal. August. pri- *Friderici.*
mam aspexit lucem. Patre S. R. I.
Comite, Michaële Wenceslao, Viro
ab intimis Magni Cæsaris Leopoldi
Consiliis, à bina Legatione, alterâ ad
Regem, Rémquepublicam Poloniæ,
alterâ ad Svecorum Principem, totâ
Europâ longè celeberrimo: Matre
verò Muliere incomparabili, Aña Ma-
ria è clarissimis Comitibus Aspermont
de Reckheim progenitus, Nobilita-
tem, quam à Majoribus acceperat, sua
ipfius magnitudine mirùm illustravit.
Etenim jam inde à prima ætate casti-
gatissimi in puero mores, facilisque ad
Moderatorum arbitrium voluntas, in-
dolem recti capacissimam innuebant;
neque tamen Genitorum defuit indu-
stria, qui in eo acriter evigilârunt, ut
Fi.

Filium iis fulcirent præfidiis, sinè quibus nullam stare felicitatem pervidebant. Et sanè adjutus eorum institutione, literarum studio se se addixit, ea felicitate, ut perinde pulcherrimis virtutum exemplis, inque literis profectu, ac vetustissimi generis splendore omnes facilè anteiret.

*Severiora
Studia, &
initia Di-
gnitatum.*

Eminus rara cum ingenii felicitate mansuetiorem palæstram, impellente Diviniore æstu, Clericum indutus, continuò idoneam tanto muneri scientiam parare institit. Quare Philosophiam, Theologiámque, quà in Bohemia, quà Romæ ingenti ardore complexus, evolutò subinde septenniò Patriæ se se restituit, Doctoratu Theologico Pragæ exornatus. Fama profundissimæ Michaëlis eruditionis, cæterorúmque decorum, non solum Bohemiam, sed & Silesiam, Austriámque pervasit adeò, ut amplissimæ Olomucensium, & Wratislaviensium Ecclesiæ eum sibi Canonicum optarent; Joseph. verò Imper. ejus magnitudinè Orbi exhibiturus, Romanæ Rotæ diceret Auditoré: ut, qui Orbis comòdo datus esset à Numine, illic magná vitæ parté exigeret, unde ejus magnitudo illustrius radiaret. In

In hoc porro munere ità se summo Pontifici, ità Augustissimo Imperatori Carolo VI. purpuratisque Patribus probavit, ut 1718. Episcopus Vacziensis, & Abbas SS. Petri, & Pauli de Tapolcza: tum anno insequente, quintus inter novem, à Clemente XI. Pontifice Maximo, Purpuratus Catholicæ Religionis Pater cum amplissima laudatione renunciaretur. Placet verba Summi Pontificis adscribere, quæ in orationibus Consistorialibus pag. 171. habentur: *5to. Michaëlem Fridericum ex Comitibus ab Althann, Episcopum Vacziensem, Præsulem hunc ab adolescentia sua non minùs pietate, quàm literis inter Seminarii Convictores in Urbe educatum, pluribus deinde Ecclesiasticis proventibus ab hac Sancta Sede cumulatum, insigni postea Romanæ Rotæ Auditorum Cœtui, in ipsa florentiori sua etatè aggregatum; Vacziensi demum Ecclesiæ nondum à Sesquianno Præsectum; si nova eum modo, & ampliori, imò amplissima dignitate augeri contingat, gratum Urbi, gratum Ecclesiæ, gratum Apostolicæ Sedi usquequaq; futurum, ambigere non possumus. Ità siquidem egregiæ ejus indoles,*

*Episcopus
Vacziensis,
& S. R. E.
Cardinalis
creatur.*

les, claritas generis, honesti mores, optima institutio nobis pollicentur.

Quod quidem gravissimum Summi Ecclesiæ Capitis iudicium, & purpurati Patres, & populus, ac ætas omnis maximè probabat, cùm Michaëlem, generis humani delicias, Angelum moribus, clarissimum Ecclesiæ Sydus, ac virtutum omnium ideam prædicabat.

Novis honoribus, ipsaque Pro-Regis Neapolitani dignitate augetur.

Quantùm verò Orbis Monarcha Carolus VI. fidei, sapientiæ, rerum gerendarum peritiæ, virtutisque Michaëlistribueret, tum maximè eluxit, cùm eum apud Aulam Pontificiam, illustri Legati dignitate ornatum, sibi ab intimis esse consiliis voluit, & gravissimo Comprotektoris Germaniæ, Hæreditariarumque Augustissimæ Domûs Provinciarum honore decoravit. Implevit verò Michaël, imò superavit Germaniæ expectationem; tam enim feliciter trienniò munus Oratoris, tantæque cum dignitate sustinuit, ut admiratus Cæsar Eminentissimi fidem, sapientiam, virtutem, dexteritatemque, Nobilissimum Neapoleos Regnum eidem tradiderit, vicaria potestate gubernandum; campum

pum videlicet aperire volebat, spatiâque dare, in quibus Althannia virtus se se latius explicaret. Et sanè par tanto fastigio Eminentissimi Principis pectus continuò enituit, sensitque ingens illa Regni Majestas amplitudinem suam, multùm infra unius, quantumvis ætate florentis Viri animum consistere, & mirata est tantùm Pro-Regis sui felicitatem, non invidit Neapolis, utpote cujus uberrimos fructus in se magnò Cœli beneficiò derivari gratularetur. Simul nempe, ac suscepit Regni gubernacula, ità animò Rem-publicam complexus est, ut in apice tanto positus, nihil eorum omittet, quæ ad communem juxtà omnium, ac privatam singulorum salutem, felicitatémque conferrent. Bellum vitiis indixit acerrimum, nec pacem dedit consceleratis ullam, donec aut evulsis imo pectore nefariis conatibus, virtutem condiscerent, aut si desipere obstinâssent, paratis ad aliorum exitium præfidiis nudarentur, ut sic exarmata impietas, posteaquàm pereundi facultatem ammisit, etiam deponere cogeretur voluntatem. Justitiam porrò, quemadmodùm persan-

*Susceptans
Rempublicam
sanctè
gubernans.*

Etè coluit ipse, ità, ut à Tribunalibus custodiretur, strenuus curavit. Sed nescio, num qua alia parte sibi magis grande nomen compararit, ac, quòd disciplinas liberales, bonarumque artium studia sedulus foverit, ac prove-xerit. Ad hæc facilis infimorum æquè, ac summorum admissio, admirabilis comitas, profusa liberalitas, amans recti ingenium sic Cæsari, Neapolitanisque satisfecit, ut nemo esset, qui communem omnium Patrem non agnosceret, amarétque. Certè ità sibi omnium voluntates, ac studia optimus Pro-Rex devinxit, ut Augustissimus Imperator Eminentissimo Michaëli solitam trienniò concludi gubernationem geminaret. Sextum igitur in annum fusus latè per Europam Pro-Regis fulgor Melitenses quoque Equites perstrinxit, qui Principem hunc maximum, ob raras animi dotes, cum Majori Cruce, suo adlegerunt Ordini; certi, sibi sæculorum omnium memoriâ dignissimum cum eo decus accessurum.

*Meliten-
bus Equiti-
bus adlegi-
tur.*

*Roma pro
Canoniza-
tione D.
Joannis Ne-
pom. agit.*

Positis dein Regni Neapolitani gubernaculis, Romam se contulit, Apotheosim Divi Joannis Nepomuceni pro-

promoturus. Et certè illius potissimum industriæ, piissimòque ardori debet Christianus Orbis, quòd Inviçtus Sacramentalis Sigilli Assertor, qui jam dudum omnium linguis Sanctus audiêrat, idem è Petri quoque Cathedra personaret. In ejus etenim causa, Eminentissimus noster Advocatum, Promotorem, seu (ut Ritus loquuntur) Ponentem indefessum egit, tantò incitatore zelo, studiòque, quantò ab eodem Sancto, bienniò circiter antè, luculentius beneficium accepit. Neapoli ex brachio dextro, velut are-

*Molestè
morbò pro-
digiosè libe-
ratur.*

scente (contractis pollice, & indice) hebdomadis aliquot gravissimè laboravit; & jam ne movere quidem dextram, sinè acerbo dolore, & alterius manûs adminiculo, poterat. Quin curatione frustra adhibita, malum incurabile nonnulli Medicorum judicabant. Interim annua, jam tum voce populi D. Nepomuceno sacra dies aderat, quem singularem suum Tutelarem, majore pietate demereri ardebat piissimus Princeps. In ædem ergo sacram PP. Paulanorum, in qua miles Cæsareus D. Nepomucenum solenni pompa celebrare destinârat, ut

ut Medici vetarent, devehì voluit, Divinis affuturus Officiis; ad Aras enim litare nequibat. Illic verò dum ferventiùs precibus insistit, Magnò-que se Nepomuceno devotus ejus Cultor commendat; en miram pre-
 cationis efficaciam! sentit, sibi bra-
 chium restitui, & pollicem, ac indi-
 cem ad officium redire. Igitur re-
 motò, quò dextram obvolutam gere-
 bat, sudariò, brachium absque dolo-
 ris sensu, alteriùsque manùs præsi-
 diò, liberè movet, ac etiam in altum tollit,
 populòque ostentat, vel hòc ipsò fa-
 ctò in hospitatorem suum D. Joannem
 gratus, cujus ope præsens DÈI benefi-
 cium sibi fieri, palàm omnibus eodem
 in loco confitetur. Neque verò im-
 memor beneficii piissimus Princeps
 vixit unquam; præterquàm enim,
 quòd in ipsa Ecclesiæ facie, Romæ,
 perpetuum suæ in Joannem pietatis
 monumentum, sumptuosum D. Mar-
 tyri in Ponte Moli statuerit Colof-
 sum, simul tenerrima eum, constanti-
 que, dum vixit, pietate, ac veneratio-
 ne est profecutus.

*Romæ D.
 Joanni Ne-
 pom. Colof-
 sum ponit.*

*Vaczius
 ad suam
 Episcopa-
 tum venit.*

Haftenus Italia, & Princeps terra-
 rum Urbs invitum licèt Eminentissi-
 mum

num Cardinalem tenuerat; dum demum solutus, quod diu flagrantissimè optârat, utriusque Aulæ curis, Vaczium ad Ecclesiam suam Præsul optimus revertit, ingenti Vacziensium, imò totius Ungariæ bonô, & perpetuâ Excellentissimæ Althannianæ Domûs gloriâ. Senserat quidem Vacziensium Ecclesia Pastoralem absentis etiam Præsulis curam, sollicitudinem, ac vigilantiam; vultum tamen præsentis, ac placidissimam Patris frontem intueri, secundissimâ Præsulis sui famâ, prædicationéque virtutum incensa, impatientissimè optabat. Igitur utprimùm Præsulem affuturum vulgatum est, illico lætari Vaczium, gaudiô repleti Catholici; Sectarii contrâ trepidare, suis exitium, ut timida semper est impietas, funestumque naufragium erroribus, animô præcipere, aut, si istud exissent, ingentem certè, quod eventus docuit, cladem vaticinari. Neque id immeritò: si-

mul enim ac Vaczium attigit, totum *Quàm san-*
 continuò animum ad curandam homi- *etè suæ pra-*
 num felicitatem, Religionis Majesta- *sic Ecclesia*
 tem, Cœli Indigetum, Magnæque in-
 primis Ungarorum Dominæ cultum,

Cleri disciplinam curat.

amorem, ac venerationem augendam, quaquaversum porrigere, tam sedulus, ac tanto ardore orsus est, ut illico appareret, quantum in hoc Principe decus, columenque meliori Ungariæ obtigisset. Primùm ergo istud omni studiò curavit, ut ab obnoxiiis sibi animarum Curatoribus, in usum deducta sanctè custodiretur institutio illa, quam in 60. digestam paragraphos, sapientissimisque non minus, quàm sanctissimis monitis, Legibusque refertam, & jam 1719 typis excusam, in Curiones Diœcesis suæ dividi, ab iisque observari severè mandârat. Et suave erat, parere Legibus, quando ipse, qui eas proponebat, vivam quandam Excellentissimæ Sanctitatis ideam expressit, nihilque exegit ab aliis, quod priùs in se ad prodigium non expleret.

Singularis animi puritas.

Quamvis autem omni virtutum genere eminuerit, eluxit tamen in eo illustriùs incredibilis corporis, & animi puritas, cujus nitorem, ut certiùs tutaretur, labeculam, etsi levissimam, in animo non sustinuit, quam pulcherrimò vel Religiosis Viris documentò, exomologesi quotidiana, imò quando-

dóque per diem etiam repetita, non ablueret, fufis ubertim ex doloris fenfu innocuis lachrymis. Ut porrò *Pium fuis*
 cœleftem hunc thefaurum custodi- *afflictandi*
 ret, tenellum alioquin corpus, pia *studium.*
 atrocitate edomitum, dura fervitute premebat; id, quod reperta à morte illius piæ crudelitatis instrumenta prodiderunt. Inventa námque funt familiaribus, ab exceffu Eminentiffimi Cardinalis, fub cervicali ejus, digniffima purpurata fanctitate, Divinifque oculis accepta monilia, flagella videlicet, Præfuleo fanguine imbuta, catenæ aculeis horridæ, brachia ambo, lumbósque immaniter fodientes, non, nifi ægrè, revulfæ, hírfuta è pilis zona, carni profundæ accreta: víctú, potúque tam modico ufus eft, ut jejunare perpetuò, nec nifi æternorum contemplatione pasci videretur: quæ omnia iis, qui viderant, ductos imò pectore gemitus, & multas lachrymas excufferunt.

Quia verò de Virtutibus Clariffimi *Profufa in*
 Principis dicere cœpimus, non abs *pauperes*
 re fuerit, paucas ex innumeris, uno *liberalitas.*
 velut obtutu contemplandas exhibere. Enituit has inter, ferè ad mi-

raculum perpetua adversùs inopes
 misericordia, quæ cum eo nata fuisse,
 & per omnes ætatis partes crevisse
 videbatur. Nemo à profusissima il-
 lius liberalitate flagitavit quidpiã, qui
 non multò, quàm postulârat, largiùs
 donatus abiret: imò perquirebat dili-
 gentissimè, quorum egestatem leva-
 ret. Atque istud tam lætus faciebat,
 ut ipso vultu proderet, quàm ex ani-
 mo, cuiusve causâ largiretur. Neq;
 æs tantum profundebat, centenis,
 præter id, quod ad manus Præsuli
 erat, florenis in singulos menses con-
 stitutis, qui in pauperes dividerentur:
 vilissimis insuper mendicabulis, omni-
 bus Domini diebus epulum præbuit,
 cibumque, & potum suis ipse mani-
 bus, egregius Magni Augustini æmu-
 lator ministravit; denique pecuniã
 donatos, & christianè vivere condo-
 cefactos dimisit. Ne porrò eos à sua
 liberalitate excluderet, quibus per
 ægritudinem ad se accedendi nega-
 retur facultas, amplam Vaczii rede-
 mit domum, supellectilique probè
 instructam in Nosocomium mutavit,
 in quam ægros, medicamentis, om-
 nique perfugiò destitutos recepit:
 cura-

*Vaczii Noso-
 comiũ con-
 stituit.*

curatorem, Chirurgumque conduxit, medicinas, alimenta, cæteraq; reparandæ valetudini idonea præsidia misericordissimus Pater providit. Ad hæc septenas cum orphanis viduas, constituto in menses singulos liberali censu, sustentavit. Ut proinde nihil mirum sit, quòd Romæ, Neapoli, Vaczii, pauperum, & orphanorum Patris, peræquè glorioso, ac Cardinalis nomine, passim ab omnibus sit vocatus.

Magnæ huic corporum curationi, *Ardentissimus animarum lucrandarum zelus.* majorem animarum adjecit curam, quarum lucris ardentissimò, quòd prope modum conflagrabat, zelò, non per sibi subjectos Curiones tantum, sed per se se, sempiternam hominum felicitatem promoturus, intendebat, idque animò tam incitatò, & infatigabili, ut vitam omnem uni suorum salutem, nullique prætereà sacrâsse videretur. Toto illo tempore, quod Vaczii exegit, nemo, ut ut vilissimus, & quocumque demum morbi genere oppressus, devixit, ad quem Eminentissimus Michaël non invisisset. Quos ut primùm adiit, incredibili charitate, Paterna sollicitudine

complexus, hortabatur ad tolerantiam, implebat desiderio cœlestium, spèque futuræ beatitudinis erectos, sacrorum lypsanorum præfidiò muniebat. Tum positus humi genibus, letulòque miserorum affusus, ferventissimas, & sæpè lachrymis mistas, multasque in horas productas cum iisdem preces, inusitato pietatis sensu peragebat; edurabatque in hoc clarissimo opere, ad ultimum usque cum morte luctantium halitum, & ad felicitatem æternam Pastor optimus, quæ licuit, adjuvabat. Mirabile est, & sæculorum omnium commendatione dignissimum, zeli, quod edit, documentum. Jacebat Vaczii in vilissima casa homuncio, Gallus gente, morbò, egestate, squallore, animalculis ità obrutus, ut in momenta mortem præstolaretur. Nullus aderat, qui opitularetur; pauci, qui, etsi fors maximè vellent, non tamen aut levare ægritudinem, aut egestatem depellere, aut illuviem abstergere potuissent. Accedebat ad cumulum infelicitatis, quòd Gallici sermonis gnarum Sacerdotè, in cujus sinu errata deponeret, non haberet.

Illustre incredibile zeli, & humanitatis documentum.

Et verò emoriturus erat infelix, nisi Vaczium Præsulem habuisset, quem meritò omnium ætatum maximis Heroibus componat. Continuo hic, atque rem intellexit, advolavit, humique juxta vivum cadaver prostratus, confitenti, admirabili, & Althanniis digna fortitudine aures præbuit, præcationemque cum homine invictâ patientiâ, & humilitate tribus admodum horis continuavit, cæterâq; adjumenta inexplicabili affectu in miserum deprompsit. Ità nimirum: nunquam attollere sublimiùs Purpuram poterat, atque, dum sic illam infra miserrimi hominis squaloré pulcherrimè abjecit. Collegit interim in præmium raræ adeò charitatis, grandem animalculorum multitudinem, quod ei aliàs quoque non rarò evenisse, exploratum Vaczienses habuère. Extremis siquidem præsertim vitæ annis, quot diebus à prandio in sacram ædem concedere, ibique Eucharisticum Numen per horas adorare: inde si per tempus licuit, in proximos Urbi campos, ut paululum respiraret, egredi; tum Urbis compita, angulosque obire, scrutari agros, pauperibus

Ædes sacras à fundamentis erigit.

stipem dare, consolari afflictos, dissidentes conciliare, plebes Christianæ vitæ rudimentis imbuere, munerari- que in usu habebat. Religiosas Familias, ne suus eximeret favor, Vaczium aut induxit, aut stabilivit, fovitque perpetuò. Seminarium Clericis ibidem perelegans, ædem sacram in pago Kosd, alteramque in Abbatia Tapolczeni magnificentissimam ædificavit. Inchoârat quoque Episcopium tam miri operis, ut nî hos, aliòsque pulcherrimos conatus mors evertisset, par Europa vix vidisset.

Ardentissima in DEUM pietas.

Quanta verò in DEUM ferretur pietate, testatum fecêre calentissimæ preces, in horas plures continuatæ, crebra suspiria, & gemitus, ardor item singularis, quò ad Aras operari consuêrat, ac vel maximè frequens, ac diuturna Eucharistici Numinis adoratio. Et quamvis hæc abessent, cœlum profectò ipsum illustri argumentò edocuit, quò Eminentissimi Præsulis Michaëlis Friderici pietas, apud DEUM locò haberetur. Nam cùm festa D. Januarii Martyris die sanguis illius, qui Neapoli, vitreo in vasculo concretus asservatur, hâcque die, suo jun-

Neapoli prodigiosam annui miraculi renovatio-

junctus capiti, palàm ebullire consue- *nem Spe-*
 vit, annò nihilominus 1726. populo *clatore*
 diu, multúmque frustra preces, ac su- *omni popu-*
 spira congeminante, & funesti quid- *lò impe-*
 piam præiagiente, solitum renovare *trat.*
 miraculum negaret, ingénsque idcir-
 co omnes timor, ac sollicitudo occu-
 passet, Piissimus Princeps in Templum
 festinus accurrit, ardentissimóque fer-
 vore ad Aram litaturus, ut Divinam
 demereretur bonitatem, Magnus Sa-
 cerdos accedit. Et en! vix Sacrifi-
 cium orditur, incredibili populi gau-
 diò, & acclamatione sanguis ebullit,
 annuúmque renovat miraculum. Cœ- *Tenerrim-*
 li, terræque Reginam venerabatur, ut *us in B.*
 Dominam, ac Patronam Cliens, ama- *Virginem*
 bat tenerrimè, ut dulcissimam Ma- *amor.*
 trem Filius, illius cultum in omnibus
 provehebat. Pulcherrimum est il-
 lud, quòd Corollam Mariæ dicatam
 honoribus, palàm diebus singulis, to-
 ta cum domo, inusitato pietatis sensu,
 de genibus, elatáque voce, Marianus
 planè Princeps evolvere in more ha-
 buerit. Quis verò dubitet, Michaë-
 lem Sanctissimæ Matri fuisse acceptis-
 simum? cujus humilitatem per omnem
 vitam æmulabatur. Virtutis hujus
 stu-

studiò pulcherrimas etiam dotes oc-
culebat, vehementérque suarum vir-
tutum commemoratione lædebatur.
Illud, modestiæ specimen singulare:
dum à sacerdotibus adibatur, occur-
rit venientibus blandissimè, & (quod
meritò obstupescas) accedentium
manus osculò veneratus, bene sibi ab
eis precari de genibus flagitabat, ne-
que antè, quàm impetrâisset, adduci
poterat, ut levaretur. Imperia etiam
mansuetissimi Præsulis tam blanda
erant, ut rogare, veriùs, quàm jubere,
censeretur. Unde dulcissimi Patris
instar ab omnibus amabatur, ejùsque
vitam, ac salutem multò ardentius,
quàm suam domestici, notique omnes
anhelabant. Neque verò strenuita-
tem, ubi ea malè excluditur, in man-
suetissimo aliàs Principe desideraveris;
Hæreseos, scelerùmque implacabilis
hostis, Sanctionum, Legùmque Cano-
nicarum, ac Immunitatis Ecclesiasticæ
invictissimus erat Propugnator, ut
adeò è Gregorii, Athanasive schola
illum prodîsse, jure existimares.

*Lentò mcr-
bò consum
ptus, piè in
Domino*

Sed rarò grandia decora cœlum
terris diu indulget. Dum igitur hic
talis, ac tantus Princeps, afflicta jam

valetudine, pridie SS. Trinitatis, solenni cantu Divinas laudes celebrat, vî morbi, quem apostema internum quidam rebantur, & cum quo in sextum jam mensem conflictabatur, debilitatus, inter adstantium manus pene collapsus est. Postridie tamen ad Aras solenniter operari meditabatur; verùm manè Cubicularium, suúmque conscientiæ Arbitrum repentè inclamans, & ab eo Sacramentali absolutione donatus, cum inexplicabili omnium mœrore, innocentem animam Creatori suo reddidit XII. Kal. Jul. annò 1734. ætatis alterum, & quinquagesimum ingressus.

Vulgato celeriter obitu, lachrymis continuò Urbs, nec multò post Diœcesis, gemitibusque insonuit. Clerus Præsulem Sanctissimum, Viduæ, orphanique Altorem, egeni Patronum, rudes Magistrum optimum, Religiosorum Cœtus, Literæque Mœcenatem, ætas denique omnis, ac conditio Pastorem vigilantissimum, dulcissimúmque Patrem, atque universorum delictum inclamabat. Et verò erat, cur acerbissimo luctu prosequerentur Emin. Cardinalem. Nam si vitam

tam illius omnem excutias, & quidquid grande, consummatum, ac singulare, quidquid Præsuleæ magnitudinis cogitâris, totum id in Principe Althannio collectum ferè ad prodigium deprehendes. Quòd si gestos festinatis honoribus Magistratus, indolem cuilibet fastigio parem, magnanimitatem periculis omnibus altiorrem, constantiam, ut minimè contumacem, ità nullis turbinibus mobilem, altissimam rerum humunarum, Divinarumque cognitionem, consiliorum vim, ac maturitatem, providentiam singularem, incredibilem ingenii felicitatem, clarissimum Purpuræ, ac Tyaræ decus, vetustissimi generis splendorem, cum popularitate, comitate, benignitate, munificencia, suimet despicientia, generoso terrenorum neglectu, atque amore cœlestium, Religionis ornandæ studio, integritate vitæ, morumque sanctissimorum innocentia, cæterisque ingentium virtutum ornamentis componas, S. Carolum Borromæum, quem sibi totis viribus sumpserat imitandum, in Emin. Althannio expectum agnosces. Luxit quoque hoc
 sydus

fydus tota , quanta est , Hungaria ,
 tanti Antistitis orbata praesidiô , qui
 quamlibet illustriores , ditioresque
 Cathedras inscendere potuisset , uni-
 us tamen Ungariae amore , constan-
 ter Vacziensem retinuit , ut ne ab il-
 lius complexu etiam à morte , id ,
 quod consecutus est , se divelli pa-
 teretur. Illatus siquidem est tumulo
 Vaczii , in Cathedrali , cui Quæstor
 Regius 28. Augusti parentavit , inci-
 sis rubro marmoris titulis ; ut sic illu-
 stres magni Præsulis exuvias , grandè-
 que depositum posteritati exhiberet.
 Longè tamen pretiosioribus , purpura-
 ta Præsulis virtus , vividam dulcissimi
 Patriæ Patris imaginem , in nostris Hun-
 garorum pectoribus insculpsit , ut ne-
 mo sit , rerum domesticarum non pla-
 nè rudis , qui vel nominis Althanii ,
 sinè reverentia , singularique ani-

mi sensu sustineat me-
 minisse.

*Vaczii con-
 digno hono-
 re tumula-
 tur,*



ALVA.

A L V A R U S
E C O M I T I B U S
D E C I E N F U E G O S
S. R. E. C A R D I N A L I S,

Episcopus Quinque-Ecclesiensis.

OMnia obtinentibus in Hispania Mauris, residui Christiani in montes Asturiæ sese recepêre; unde collectis animis coorti ejecerunt Mauros, & Christianorum in Hispania Regnum instaurârunt. In hocce Asturiæ Regno, Alvarus ortus est ex Illustrissima Cienfuegorum Familia, in quam Comites de Miranda, Penhanda, Pennalva, de Vall, de Carzana, Tallu, Eschallaete, & Ferrara originem suam referunt. Adolescens spes humanas, ac incerta vota valere jussit, & studiô Evangelicæ Perfectio- nis, in Societate JESU rescriptus est. Paucorum annorum spatiô egregiè in hac virtutum schola profecit; par erat virtutibus doctrina. Cùm Philosophiam Compostellæ interpretaretur publicè, nihil videbatur tam reconditum in natura, quod ejus ingenium in lucem non protraheret. Salamanticensem Universitatem Hispania huma-

Alvari ortus.

*In literis,
 & virtuti-
 bus profe-
 ctus.*

humanæ Sapientiæ apicem existimat. Hic Theologiæ arcana ità Auditoribus explicabat, ut Cœlo, & DEO intimè affixus videretur. Erat ei eloquii copia, & tanta persuadendi vis, ut quis quis dicentem audiret, veluti torrente sermonis abreptus, captum se sentiret. Orta inter Austriacam, & Borboniam Domum Controversia de jure in Hispanias, ut universæ propemodum Europæ non minor apparet, quàm in oculis Hispaniæ esset, occasionem præbuit. Jussus Hispaniæ Legato in Galliam ire Comes, & à sacris esse, mutata in itinere ab Legato voluntate, Olyssipponem in Lusitaniam cum eodem flexit, ubi non diu post inter Carolum III. & Petrum II. illum Hispaniarum, hunc Portugalliæ, & Algarbiæ Reges, Alvari, & Legati operâ fœdus sancitum est communibus viribus perficiendi, ut in Hispaniæ solio, Lusitaniæ opibus Carolus firmetur; & procedebat ex animi sententia diu consilium, Mantuâ Carpetanorum bis fœderatis armis occupatâ. At commissô ad Allmanzam septimô Calendas Maji A. 1707. infeliciter præliô, res interturbata est.

*Migrat
Olyssippo
nem.*

Toto reliquo Hispanici, & Gallici belli tempore, partim cū Legato, partim eo è vivis sublato, solus res Caroli III. in Lusitania Aula Alvarus procurabat, & quantum alii in arena martis pectore, & manibus, tantum ille Consiliis, Regiam Caroli Authoritatem tuebatur.

*Ejus Olyf-
suppone la-
bores.*

Cienfuegi omni copiarum genere abundant. Hortabatur cognatos, ut in bellum, pro Austriaco jure, suas opes liberalius conferant. Nec frustra erat: magnam in id auri, & argenti vim profudere. Quod coalitum foedus adstringatur, & perenne sit, auctor extitit jungendi in matrimonium Joanni V. Portugalliae Regi, M. Leopoldi, & Eleonorae filiam Mariam Annam. Mirificam ex hoc matrimonio Lusitania capit voluptatem, multis nominibus, sed ante omnia, quod jam videnos ante annos, Regno quinque haeredes dederit. Dum Alvarus tot res pro Austria, & Lusitania perageret, nescio, quid peccasse visus est. Hinc diu pedem domo non etulit. Quotquot in hac solitudine, vacuas publicis negotiis nactus horas, scholasticis commentationibus impendit. In Divinae Triados

Libros scribit.

dos Myſterio defixus potiffimùm hæ-
 rebat. Tandem in SS. literis, Patri-
 bus, Conciliis, Eccleſiaſticis Tradi-
 tionibus, diverſam ab aliis reperit ra-
 tionem, tantum arcanum ſubjiciendi
 cæcutientis noſtræ mentis oculis.
 Hanc rationem vaſtiore Tomo expo-
 ſuit, cui ænigmatis Theologici no-
 men indidit. Altero, nec quoad mo-
 lem, nec quoad eruditionis copiam
 arctiore plerâſque in Theologia Con-
 troverſias, repertæ ab ſe rationis admi-
 niculô planiùs, ut ei, & fortâſſis ex
 vero, videtur, pleniùsque, quàm quiſ-
 quam hæctenus alius, diremit. Ge-
 ſta etiam à ſancto Francisco Borgia,
 quondam Gandiæ Duce, poſtea Ge-
 nerali Societatis JESU, curatiùs exſcri-
 pſit, & typis in publicum edidit. Ubi
 Ultrajecti, in conditiones pacis Au-
 ſtria, & Gallia adducta eſt, placuit
 Mariæ Annæ, ut Viennæ, apud Fra-
 trem Carolum, ſuas partes ſuſtineat.
 Quamvis abſens, admodùm charus
 Cæſari, & magno in pretio eſſet,
 præſens charior fuit. Imenſùm cre-
 vit Viri exiſtimatio. Hinc niſi ſuâ o-
 perâ, exornaretur Romanâ Purpurâ,
 non arbitrabatur accepta officia pro

*Venit Vienna
 nam.*

*Petitur ei
Purpura.*

merito abs se solvenda, & fidem, sapientiam, solertiam, Religionem minus, quàm æquum æstimanda. Verùm incitatus desiderium referendi hanc gratiam, plura morabantur: & imprimis quidè deprecantis haud perfunctoriè tantum honorem, modestia; dein voti sponsio, quâ se instituto Professorum in Societate JESU obstrinxerat, non admittendi ullum honorem extra Religionem, nisi rigidò præceptò, à summo Pontifice imperetur, ut sinè gravi piaculo recusari nequeat; tum duo ex eadem Societate: Joannes Ptolomæus, & Joannes Baptista Salernus, haud ità pridem solutò istiusmodi vinculò in Cardinalium Collegium translati, & etiam tum viventes; universa item JESU Societas; ipse adèò summus Pontifex Clemens XI. Vehementer enim verebantur, per repetitas toties, tam arctæ sponsionis gratias laxandum, & aperiendum honoribus aditum in Religiosum cœtum, ac labem ab iis accepturum, luxandùmque, qui hæctenus suâ modestiâ firmus stetit. Verùm hæc omnia vicère demum Cæsaris preces, quæ Apostolicum breve, missum ad Alvarum

rum, uberiùs pandit. Ejus verba sunt: Clemens Papa XI. Dilecte Fili noster O'c. Etsi diu hæsitaverimus, num Charissimi in Christo Filii nostri, Caroli Hispaniarum Catholici, nec non Ungariæ, ac Bohemia Regis illustris, in Romanorum Imperatorem electi, precibus anzuere deberemus, Te Dilecte Fili nosser, inter S. R. E. Cardinales adscribendo, scire tamen Te volumus, nostram ejusmodi hæsitacionem non inde quidem profectam fuisse, quòd vereremur, nè iis præditus esses Virtutum meritis, quæ amplissima huic Dignitati usquequaque essent paria; siquidem exploratum nobis erat, non minùs Doctrinæ Tuæ præstantiam, quàm morum Tuorum integritatem, Te eodem sublimi in Ecclesia DEI gradu maximè dignum constituisse; hæc autem universa hæsitatio ex eaduntaxat metu processit, quem animò conceperamus, nè novò hóc exemplò, quod brevi annorum spatio, ut benè nôsti, jam tertium est, tametsi Prædecessorum nostrorum tempore longè rariora extiterint, nimiùm relaxaretur laudatissimum Societatis JESU institutum, ad cujus scilicet prosperam, felicemque conservationem, juxta enixam Sancti

illius Fundatoris mentē, plurimum in-
 teresse dignoscitur, ut qui in ea regu-
 larem Professionem expressē emise-
 runt, quemadmodum Tu illam emisisti,
 ab adimplenda sponsione DEO facta, per
 solemne votum nullam Dignitatem Ec-
 clesiasticam acceptandi extra eandem
 Societatem, minimè retrahantur; quod
 ipsum probè Te etiam agnovisse, &
 probasse, magna cum voluptate audivi-
 mus, cum omnes à Te, & sanè non se-
 mel, Christianæ humilitatis conatus ad-
 hibitos fuisse percipimus, ut benevo-
 lum Cæsaris animum à proposito dimo-
 veres, objectaque voti à Te emissi Re-
 ligione Cardinalatum declinares. At
 ubi certiores novissimè facti sumus,
 plurimos, & sanè maximos ex Tua
 ad Cardinalatum huiusmodi promotio-
 ne, non tam Apostolica Sedi, quam Ec-
 clesie Universe obventuros fructus,
 adeoque nullum inde oriri posse exem-
 plum, quod in perniciem præfati insti-
 tuti, eidem Apostolica Sedi arctiori cæ-
 teroquin vinculo addicti, trahi unquam
 valeat, quavis abjecta cunctatione, in
 proximo habito Consistorio nostro se-
 creto, Te in Apostolicum Senatuum illi-
 co cooptavimus, Tibique insuper, ut
 huic

huic Tuæ inter Cardinales cooptationi
 consensum sinè mora præstares, præ-
 ceptum adjecimus, omnino confisi, fo-
 re, ut earundem eximiarum virtutum,
 quæ Tibi tantam isthic æstimationem
 cõparârunt, ope, atque præsiðiò, celeri,
 felicique votorum nostrorum, quæ
 planè justissima sunt, implemento sus-
 fragari maximè possis. Præcipuum in-
 terim insigne collatæ Tibi in Ecclesia
 excelsæ Dignitatis, purpureum scilicet
 Biretum ad Te deferet isthuc adveniens
 Dilectus Filius, Petrus Franciscus Bus-
 sius, Cubicularius noster honorarius,
 tum ob præclara sua animi decora, tum
 etiam ob arctam cum Dilecto Filio no-
 stro Joanne Bapt: tit: S. MARIÆ in
 Ara Cæli Presbytero S. R. E. Cardinali
 Bussio nuncupato, Sanguinis conjunctio-
 nem, nobis apprimè cõmendatus; quem
 proinde ut congruis humanitatis, ac
 benevolentia significationibus excipi-
 as, vehementer à Te petimus; Tibi-
 que, Dilectæ Fili noster, Pontificiæ Cha-
 ritatis pignus, Apostolicam Benedictio-
 nem peramanter impertimur. Dat:
 Romæ diè 8. Oct: 1720.

VIII. Idûs Decembris in Ecclesia *Et confer-*
 Sodalium S. Augustini, qui nunquam *tur.*

calceos induunt, & idcirco Discalceatis est nomen, faciebat solenni ritu ad Aram Celsissimus Princeps Sigismundus Kollonicus. Cæsar delatum Româ à Francisco Petro Bussio biretum Alvari capiti imponit. Mox D. O. M. gratiarum carmen ceptum à celsissimo Pontifice, musicis modulis absolvitur. Secutæ sunt amicorum gratulationes. Quotquot aderant Germani juxtâ, & Hispani Proceres, lætitiâ animi triumphabant. Viri fides, integritas, relicta Austriæ studio Patria, copiosè impensa Carolo opera, profusæ ad firmandum ejus in Hispanias jus, opes, materiem gaudii sufficiebant. Dum Clemens XI. vivendi finem faceret, Alvaro ad legendum novum Ecclesiæ Caput, abeundum in Urbem erat. Ad hanc functionem, quæ à Religiosissimis expectari potest, integritatem ferebat, & peracta Electione Benedicti XIII. quia stirpe Ursinus, ex Baptismate Vincentius Maria appellabatur, Ecclesiæ S. Bartholomæi possessionem iniit. Interierat injuriâ bellorum hujus Apostoli sacrum Corpus, & quem dixi, Ursini industriâ publicæ venerationi in Ara

*Interest
Electioni
Papa.*

expositum est. Dum viveret Alva-
 rus, illud maximo in honore habuit.
 Impetratâ Purpurâ, non finiit in ornan-
 do Cæsaris benevolentia. In Sicilia
 montis Regalis Archi-Episcopum, Ab-
 batémque, & terrarum, in quas inde
 ei esset jurisdictio in sacris, Dominum,
 in Ungaria Quinque-Ecclesiensis Epi-
 scopatûs Administratorem, ac Bara-
 niensis, & Tolnensis Provinciarum,
 cum suprema potestate Comitem no-
 minat. Misit ad regendam, Regia Au-
 thoritate, Neapolim Althannô, me-
 mor quàm dextrè negotia Regis Hi-
 spaniarum in Lusitania curârit, ut
 Cæsarea iterum exequatur, suum in Ur-
 be Oratorem decernit. Tam gravi-
 bus, ac tot negotiis unus par erat, in
 diffitis immani terrarum intervallo
 Regionibus, è sententia omnia execu-
 tus. Quinque-Ecclesias unicè adire
 auebat, sed Romæ attinebant Urbis,
 quin orbis curæ. Itaque Excellen-
 tissimo Comiti Sigismundo Berény,
 jam tum Episcopo, & Quinque-Eccle-
 sias, & Provincias enixè commen-
 dat, atque ad regendas, suam omnem
 in sacris, & profanis potestatem com-
 municat. Addidit insignes S. Vin-
 cen-

*Aliis honori-
 bus augetur
 à Cæsare.*


*Quinque-
 Ecclesiensis
 Diœcesis
 procuratio-
 nem comen-
 dat C. Si-
 gis. Beré-
 nyio.*

centii Martyris Reliquias, & sacrum
 ejus corpus Quinque-Ecclesiis, in Ca-
 thedrali Basilica ornatum magnificè,
 ad publicam venerationem colloca-
 vit, ut suæ ceu Pastoris, & supremi
 Comitis curæ creditis, non minùs in
 Cœlo, quam in terra temporalium
 emolumentorum, & æviternæ salutis
 Procurator esset. Excellentissimus
 Berényius ità Alvari vices obiit, ut
 suo jure post eum, tum Quinque Ec-
 clesiis, tum Tolnensi, & Baraniensi
 Provinciis præesse meruerit. Hodie-
 dum singulari vigilantia has, & illas
 regit. Alvarus Romæ non modò so-
 lenter, sed adeò splendidè imperatas
 partes explebat, ut parsimonix ad-
 monendus esset ab iis, quorum con-
 silia, etiam extra Religionem ample-
 cti, Religione voti receperat, quoties
 potiora, quàm, quæ sibi venissent in
 mentem, viderentur. Tot impensis
 fortassis par haud fore ærarium indi-
 cantibus, retulit: etiamsi nomina
 contraheret, dissolvendis fore pares,
 quas haberet, gemmas. Ex India ad
 Hispaniam, & inde in Italiam à co-
 piofis Cognatis submissas crediderim.
 Quæ sciri Cæsaris interesset, nun-
 quam

*Alvari so-
 lertia, &
 splendor.*

quam ejus vigilantiam fugêre. Quid in deliberatione fuerit, quid statutum, peractumque clàm, nemo prius, pleniùsve Alvarô rescit. Emendis, qui hæc explorarent, atque ad se referrent, plurimam auri, ac argenti vim effudit. Neque in pauperes parcior, nullum tristem, nullum vacuum ab se dimisit. Has inter curas Romæ animam Creatori reddidit. Clarissimum Principem sibi Hispania, & Lusitania, sibi Roma, & Vienna, sibi Mons regalis, Ungaria, & sua Societas, atque imprimis Romanorum Senatorum ordo vendicant. Primus in illustrissimam Cinfuegorum familiam intulit Romanam Purpuram.

Si postremos de his Purpuratis *Quid in hoc Libello recenter praestitum.* Patribus demas quaternos, ferè pen-
 nâ P. Samuelis Timon, è Societate JE-
 SU, Ungaricarum rerum, si quis, gnari, expictos, & publico, typis primùm communicatos, iterum damus. Quæpiam, quòd post Samuelem, origines Ungarorum explorantibus, ab Historiæ veritate discessisse visa, aut rescidimus, aut verosimilioribus permutavimus. Nonnulla tardiùs ei innotuerant, & in appendicem relata sunt; hæc




hæc suis locis reddidimus. Quæ Samuelis solertiam effugerant, reperta à nobis paucula, veteribus addidimus. Pronum erat plura adjicere, sed non libuit.

Alii Ungaria Cardinaliales.

Manum igitur de tabula subducimus, non, quòd plures ex Ungariæ Prælati in Cardinalium Collegio re-scriptos nesciamus, aut laboris pignat, in transmittendis ad posteros, eorum pro Ecclesia, ac DEO præclare gestis. Aprimè novimus suâ Purpurâ Ungariam eximiè ornantes: C. Sigismundum à Kollonics, Patre Levardinensi Dynasta, in Ungaria natum, educatumque, nunc primum Viennensium Archi-Episcopum, nuper Vacziensium Episcopum, atque etiam dum nuncupati à S. Michaële Sacerdotii de Bata-Szeg in Tolnensi Provincia Abbatem; Priolos item, & Borgias, illos Venetos, hos Hispanos, Ungarorum Nepotes omnes; Wolfgangum Anibalem Schratenbach; Benedictum Erba Odeschalcum; Damianum Hugonè Schönborn; Philippum Ludovicum à Zincendorff, ortos ex Familiis, aut latifundiis, aut publico jure Ungariæ donatis; ac postremum ante adeptam

Ura-

Uratislaviensem Infulam, ac Pedum, haud ità pridem Jaurinensem Antistitem. Igitur, cur silentiò à nobis hoc loco prætereantur, causa est, quòd aliis in præsens vita suppeditet, & Religione, liberalitate, vigilantia, zelò, fide, prudentia, justitia, constantia, cæterarúmque virtutum exercitatione, eos se exhibeant, qui laudatissimi ab æquis æstimatoribus habentur. Hi si exscriberentur, verendum erat, nè adulatio censeatur, quod historia est. Alii suarum virtutum splendore, longè distitas à nobis Provincias illustrârunt, quas adire, ad discendum, quid pro Republica? quid pro Ecclesia, ac DEO peregerint? prohibent angustiaæ statuti temporis ad ornandos supremâ Theologiae Laureâ, quorum in gratiam hunc laborem suscepimus, quique pridem, & hocce munusculum, & supremam Lauream commeruerunt, atque anxie operiuntur. Nè tamen in totum honore fraudentur, quos omisimus, duas de Excellentia Romanæ Purpuræ dissertationes subjicimus:



PROBLEMA IN ACTU DECISUM.
Purpurane Præsulibus Hungariæ?
an hi Purpura, majori fuerint
ornamento?


PARS PRIOR.

Purpura fuit majori ornamento:

Nescio, an nobilem veriùs, quàm arduam dicendi provinciam me hodie nactum arbitrer, Promotor sapientissime! sive enim pro sacra Ecclesiæ purpura, sive Purpuratorum Hungariæ Præsulum commendatione dicere constituo, utrinque nobilissimam juxtà, ac uberrimam laudis materiam offendo, atque ideo maximè arduam conditionem meam experior. Cùm enim hinc fulgor Purpuræ, inde virtutis splendor mentem perstringit, quid statuam? utriùsve in partis gratiam pronunciem? quin aliam lædam, non satis video. Ne tamen, aut imposito mihi muneri defuisse, aut summæ in Ecclesia dignitati minus tribuisse videar; dicam pace Vestra, Eminentissimi Patres! maximo Vobis ornamento purpuram fuisse. Quod dum dico, nemo me de virtute Vestra detracturum huc accessisse arbitretur; non enim quorumdam more,
 ut

ut sententiæ meæ veritatem evincam, meritam laudem Vestram elevabo, non carpsim immortalia facinora, & partam meritis gloriam in invidiam non vocabo. Satis in rem meam erit, Purpuram, ab ea, quam adferre consuevit, dignitate, & honore, nobilissimóque virtutis testimonio commendare. Quod, ut ad laudum Vestrarum cumulum adjiciam, perorabo.

Et dum nobilissimum hunc Eccle- *Origo digni*
 siæ Magistratum ab origine repeto,
 multa statim, magnaue excellentiæ
 ejus testimonia se se offerunt; nescio
 tamen, an luculentius ullum existi-
 mem, quàm, quod jam sub Ecclesiæ
 exordium primus ille à Christo Rei-
 publ. sacre Moderator, ut nobilissi-
 mo Romanorum imperio regendi dex-
 teritate, majestatiq; nihil con- *Capit. se*
 cederet, quatuor supra viginti Orbis *Petr. 8.*
 Christiani Senatores dixerit; eiq; mu-
 neri septem subinde delecti, per se-
 ptem illos Cœlestis Hierarchiæ Spi-
 ritus, Joannis ore sint designati, ut
 quemadmodum hi altissimi thronum;
 ità illi, seu litantem ad aras, seu ad *Ex Arist.*
 populum dicentem summum Sacer- *Const.*
 do.



Sixti V.

dotem stiparent. Quorum crescente numero, crevit & dignitas: magni enim Pontificis oraculò septuaginta illorum, quos sibi Moyfes ad judicandum populum, conservandamque legis integritatem adhiberat, virorum personas sustinere, suamque summo Capiti in gubernanda Ecclesia operam commodare jussi, & à cardine, in quo Christiani orbis machina verteretur, appellati, quæque D. Bernardi est sententia, *Seniores populi, & orbis Judices* sunt constituti: nè minores magnis Regibus essent, purpuram induerunt. Itaque cautum est, ut nemo deinceps, nisi horum arbitriò, horumque è numero, Reipubl. sacrae clavo admoveatur, & nè suo destituta Rectore, Ecclesia hostium assultui pateret, suprema illis est tradita potestas. Lubeat jam Vobis A. A. ab uno aliquo horum, præstantiam metiri Purpuræ, & primos à summis, in Ecclesia honores ei ex æquo tribuetis. Quid enim aut ad commendationem ejus nobilius; quàm per cœlestium Spirituum munia designari? aut quid ad dignitatem magnificentius, quàm divisam


*Paul. II.
Conjt.*

*C. in nom. I.
Dist. 23.*

*C. licet de
Elect.*


*Excell. &
potestas di-
gnit.*

visam cum supremo Ecclesiæ Antistite gubernandi provinciam, gerere, & pares Regibus mereri honores? aut quid ad excellentiam ejus illustrius, veriùsque dici potest illò veteris Legis præconiò: *Domini sunt Cardines terræ, & posuit super eos orbem?* ^{1. Reg. 2.}
 Sed cur ego ad confirmandã tantæ dignitatis magnitudinem argumenta aliunde peto, quorum plurima domi suppetunt. In uno Patriæ nostræ Lumine Pázmáno, ejus excellentiam spectate: quem in Urbem profectum, Cæsarei Legati munus obiturum, Urbanus Legati nomine accipere diu, multúmque detrectavit, quòd id muneris, infra purpuræ dignitatem esse, existimaret. Quod si verò nec hoc ad commendationem purpuræ pro merito dictum putatis AA. libeat paulisper mente, animóque, in medium, quos Patria nostra censet, Purpuratorum Senatum mecum abire. Sed nescio, quis reverentiã mixtus stupor adire volentem occupet? ut ipse, quid primum? quidve potissimum mirer? ignorem. Vos, si potestis, instructa hic ad omnem honorem subsellia spectate; & quot in iis personas, tot



Ecclesiæ sydera, & ornamenta Patriæ spectabitis: Inspicite compositos ad gravitatem vultus; & quot Viros, tot sedere pro tribunali, summa cum potestate, iudices existimabitis: audite eorum in rem Christianam studia, consiliaque; & quot sententias, tot edi ab iis oracula audietis. Ego certè quot amictos hic Purpurâ humeros, tot coronata Regni capita mihi videre videor, meliori sanè jure, quàm quod quidam, de veteri Romanorum Senatu Epirotarum Regi dixit: *Urbem, Romanum Templum sibi visam, Senatum Regium, tot Reges, quot Senatores.* Celebrant proinde alii Romæ veteris splendorem; prædicent pro merito Magistratum prærogativas: extollant, ut par est, Regum Majestatem: nihilò ego hanc Ecclesiæ dignitatem inferiorem dicam. Quia verò non aliam tanti summa cum potestate splendoris, honorisque causam, quàm purpuram invenio, facile intelligitis, opinor, eam maximo iis ornamento fuisse, quibus summos cum potestate honores attulit. Nihil proinde me à vero abiturum puto, si Purpuram Solis radiis similem di-

dixero, quos si densior absorbeat nebula, totum soli decorem demit: aut si eam lucem nominâro, quâ remotâ, adeò summa rerum perit gratia, ut nobilissimum cæterâ aurum à ferro non discernas. Temerarius sim, si plus æquò nobilissimæ huic dignitati tribuo, quæ ipsarum etiam virtutum, meritorumque pretium auget. Tollite enim hanc Viris omni virtutum genere ornatis; & præcipuum eis ornamentum sustulistis, eamque, quâ apud omnes erant, existimationem, quaque pollebant, in agendo, auctoritatem elevastis: negate hoc virtuti eorum præmium; suum quidem illam manebit pretium, sed laus obscura comitabitur. Nec immeritò: si enim à præmii magnitudine meritorum metimur præstantiam, à Purpura profectò, quam Ecclesia maximum virtutis præmium esse voluit, splendoris plurimum accedere, est necesse: & si cum Fascibus secures, summæ apud Romanos potestatis insignia etiam pusillum Consulem formidandum; arma, imbecillum militem, audacem; Corona, ignavum etiam Regem venerabilem reddunt;



eritne aliquis vestrum, qui sacram Purpuram, nobilissimum honoris insigne, non solum meritorum gloriam destituitis, verum etiam à virtute clarissimis, maximo ornamento esse neget? Sed esto, negate verbis meis fidem: existimate, per me licet, aut infirmum, aut à veritate alienum, quidquid adhuc in sententiæ meæ favorem attuli. Unius Mathiæ Corvini, jucundissimæ memoriæ Regis, testimonium tanti ego apud vos momenti existimo, ut ei nemo, nisi à se ipso alienus, refragari audeat. Vidit ille quidem eò res Regni sui locò esse, ut cum cæteris non modò conferri, verum etiam pluribus anteferri possit; unam tamen Purpuram ad summum ejus ornamentum desiderari ajebat. Ut eam proinde Vardájo, Viro integerrimo, & Colocensis Ecclesiæ Archi-Episcopo, à Paulo, & Pio summis Ecclesiæ Præsilibus impetraret, quæ patrocina Venetiarum Ducis, & ipsius etiam Cardinalium Collegii imploravit? quàm crebras hac super re literas dedit? quàm ardentem petitioni adjecit preces! quid? quod Oratorem etiam causæ suæ patrocinaturum in

*Vid. Epist.
Math. Cor.
part. 1. Ep.
LXXI.
part. 2. Ep.
VIII &
XVII.
part. 3. Ep.
1. & II.*

in Urbem miserit. Longum foret, recensere omnia, quibus semel, iterumque in uberrimam sacrae Purpuræ laudem excurrit: sive cum eam ipso pondere, & reverentiâ dignitatis summo locò constitutæ magnam esse confitebatur, sive, cum ab ea Coronæ suæ multum ornamenti, plus Regno firmitatis, Ecclesiæ suæ Præsulibus authoritatis plurimum accedere dixit.

Audite ipsum ità ad Pium scribentem: *Quapropter B. V. quanta possumus devotione maxima obsecramus, quatenus & alterum . . . Sacrosancto Collegio adscribere dignetur, qui ultra Pontificalis vitæ honestatem, etiam temporalium tractandorum usu, ac prudentiâ, ac quasi quadam dexteritate præpollet, ac tantò magis pollebit, quantò plus ei authoritatis addiderit cumulus honoris . . . his rationibus adducti Sanctitati Vestræ iterum, iterumque humiliter supplicamus, ut preces nostras exaudiat, ac multis, & magnis ornamentis in nos collatis unum hoc adjiciat incrementum.* Videte

A. A. quàm appositè in rem meam hæc dicta sint, nec meam unius, sed magni Regis hanc esse sententiam:

Purpuram maximo suis esse ornamento. Putatisne enim vero eum pro sapientia sua non perspexisse, quantum virtuti suorum, quantumve Purpuræ sit tribuendum? putatisne magnum illum, & imperandi, quàm rogandi magis peritum animum, tam subito sui dissimilem, ad preces descendisse, ut suorum virtute Purpuram ornaret, & non potius, quod ego sentio, ut eorum meritis præmiû, ornamentumq; adderet?

Quæ cum ita sint, existimate jam pro Sapientia vestra A. A. Túque cum primis Promotor Sapientissime! an non purpuratis Patriæ nostræ Patribus nobilissimus iste Ecclesiæ Magistratus cum honore, dignitatéque ornamenti plurimum attulerit? sine quo etiam merita illorum, aut levia, aut certe obscura futura fuisse intellexistis. Existimate, inquam, verumque ex argumentorum pondere statuete. Quibus nè cuiquam sententiæ meæ necessitatem imponere velle videar, sit vobis per me integrum sentire quidlibet, modò ita apud animum vestrum statuatis, ut à sapientissimi Mathiæ Regis judicio non discedatis, quò illum totum in meam sententiã abiisse,


dixi,

PARS

PARS POSTERIOR.

Præsules fuerunt majori ornamento:

EXplevisti muneris tui partes, O-
 tor Theologe ! & dum Purpuram
 supra meritorum, virtutumq; splendo-
 rem ità extulisti, ut de eo detraxeris
 nihil, me quidem, in nobilissimo hoc
 spectatissimorum Virorum confessu,
 ad dicendum provocâsti; sed simul
 necessitatem imposuisti, eâ de virtu-
 tum magnitudine modestiâ differen-
 di, ut suus etiam Purpuræ constet
 honor: jamque expectas, ut in pro-
 positam causam aliquid dicam. Ve-
 rum si adornata à te ad omnem Pur-
 puræ splendorem, majestatemque o-
 ratione fidem, ut par est, fecisti; per-
 acta lis est, nec habeo, quod in Ve-
 strum Eminentissimi Patres favo-
 rem pronunciem, meritâque splen-
 dori Purpuræ anteferam. Quia ve-
 rò eos causæ nostræ arbitros nacti su-
 mus, qui pro sapientia, & æquitate
 sua, non, nisi perspectis utrinque ar-
 gumentis, de rei veritate decernere
 nôrunt; in eam facile spem venio, ut
 me quoque primùm orationis tuæ ar-
 gumenta refellentem, tum verò vir-



tutes Patrum commendantem audiant, itaque intelligant, quantum isti meritorum gloriâ, splendori Purpuræ præstent.

Et quamquam ego ad persuadendam sententiæ meæ veritatem optimum ducerem, spectandas Patrum virtutes omnium oculis proponere; facile enim tunc quisque intelligeret, quantum ab his ornamenti Purpuræ accederet; ne tamen ipsô silentiô argumentorum tuorum vim vel fugere, vel parum iis tribuere videar, ea proposito ordine repeto. Et dum ab ea, in qua, orationis partem maximam, versabâre, dignitate ordior; adeò tuum in ea commendanda non reprehendo studium, ut illud etiam magnopere probem, & ultro concedam, maximam eam in Ecclesia dignitatem esse. Verùm quod magnitudinis & excellentiæ ejus causam præteriisti, illud enim verò est, quod opinioni meæ plurimum suffragatur. Ità enim existimo: splendorem omnem à virtute cum aliorum, tum Patriæ nostræ Patrum Purpuræ accessisse. Quod nè temere me dixisse putetis; fingite animò, eos solùm ad hæc

tem-

tempora, hunc Ecclesiæ Magistratum
 gessisse, qui cùm nihil supra vulgus
 saperent, nullâ præclarè actorum glo-
 riâ claruerunt. Et quantos putatis,
 eum honores allaturum esse? Quis
 erit jam Virorum præstantissimorum,
 qui eum ambiat, & non ignominio-
 sum potiùs nomini suo, quàm glo-
 riosum existimet? at verò quia eos
 potissimùm cùm alibi, tum in Patria
 nostra dignitate hac ornatos vidimus,
 in quibus virtus, & sapientia fixêre
 sedem; ideo magnitudinem ejus à
 Virorum præstantia metientes, sum-
 mos ei honores tribuimus. Animad-
 verto hic, opponi mihi posse: digni-
 tatem hanc virtutis esse præmium,
 quod suum à meritis pretium mutua-
 ri nequit, sed vel ipsum pretiosum
 esse oportere, vel præmium non ef-
 se. At enim quid molli herba vilius,
 ex qua obsidionales apud Romanos
 texebantur coronæ? quis tamen ne-
 scit, nobilissimum hoc fuisse bellicæ
 fortitudinis testimonium, maximùm-
 que pro servatis ab hoste mænibus,
 præmium? Cujus quidem pretium,
 honorémque tantum non aliunde fuis-
 se, facile quisque intelligit, quàm

quòd eorum semper coronaret verticem, qui se factis imperiò dignos probârunt: ut adeò non ipsos coronæ, sed coronas illi pretiosas redderint. Ità planè eam, de qua mihi sermo est, rem se habere, ex vestra, Patres clarissimi, & Neo-Doctores Theologi, Purpura, plùs, quàm certè ostenderem, nisi modestia Vestra mihi silentium imperaret. Dicerem quippe maximos quidem esse, quos Theologia cum Laureis honores defert, dignòsque, ad quos literarum alumnus, ut ad summum laborum præmium, aspiret; nisi tamen Vos cum cæteris, quibus adhuc honores isti collati sunt, de Literis, & Ecclesia optimè meriti essetis, minores dicerem. Sed unum est, quod ambigam reddere cuiquam posset sententiam meam: Mathiæ Regis testimonium; quod ego quidem tantifacio, ut si mihi id adversari intelligerem, aut finem hic dicendi facere, aut palinodiam canere non erubescerem. Verùm quia eum maximum sententiæ meæ Patronum fuisse comperio, nihil est, cur à proposito desistam. Scio quidem refertas fuisse pre-

precibus literas ejus, sed & illud ab eo scriptum fuisse scio: *Non esse ad concedendum grave, quod debito jure postulatur.* Scio quidem, quod magnopere probo, eum in amplissimam Purpuræ commendationem excurrisse; sed & illud scio: ità eum pro Vardaji meritis stetit, ut *eum dignitatem omnem sibi accedentem adornaturum* diceret. Sentiebat nempe Rex sapientissimus, nobilissimam quidem hanc esse Ecclesiæ dignitatem, id tamen ad honorem, & excellentiam ejus plurimum facere, quòd eam Viri à virtute, & literis, magnisque in Ecclesiam meritis clarissimi consequantur. Quod ego quidem verum esse, facile ostenderem, si mihi Eminentissimorum Patriæ nostræ Patrum merita recensere vacaret. Videretis enim etiam Hungariam suos habuisse pietate Borromæos; doctrinâ Ptolomæos; Mazarinos consiliis; & præliis, palmisque nobiles Bellarminos; per quos Regnum, & Hungariæ Ecclesia stetit. Sed quorsum inter tam arctos temporis limites, aut forte illud Mathiæ Corvini brachium Vardajum memorem, qui Regem ipsum lau-

Part. 2. Ep. VIII.

Ibid.

Varda, & Bakass.

lau-

laudum suarum præconem habuit? aut quid ego amplissimis utriusque Reipubl. defunctum muniis Bakacsum paucis celebrem, de quo nihil me dicturum puto, nisi, Nobilissimæ, & pace, bellique inclytæ Erdódio-rum profapiæ, in qua ipse à se condita perennat, præclara referam facinora, & suam Thomæ, & Christophoris, suam Georgio, & Ladislao, suamque Gabrieli laudem pro merito tribuam? Quid referam virtutes ejus, in quibus ornandis Restio, Viennensis Academiae Orator nobilis, suam quidem facundiam ita exercuit, ut eum justitiâ, prudentiâ, & religione nulli secundum pronunciaverit; nemo tamen eas dignius celebrârit, quàm si Patria, quàm ipse ab Uladislai obitu unus jacentem erigebat, loqueretur. Persuasus tanti Viri virtute Maximilianus Augustus, eum dignum judicavit, ad quem ipse honoris causâ Viennæ adiret. Injurius tibi sim, Magne Cæsar! si rarò tuò de præstantia Viri testimoniò majus, aut illustrius aliquid in ejus commendationem dici posse existimem. Hæc dum
pro-


proloquor, ad probatam ipsi Concilio Tridentino Draskovicſij facundiam, & ſapientiam hæreo; nec verba invenio, quibus ejus in Religionem ſtudium efferam, cui conſervatam ad hæc tempora fidei integritatem Croatia Regnum debet. Referámne, an præteream tuas, Leopoldæ Kolonicæ, de te, & hoſtibus relatas victorias, quibus jam Eques Melitenſis proluſiſti, dum in Barbarorum navigium primus inſiliens, in eo candidæ Crucis ſignum ſublime ſtatuisti. Auſta ſubinde, lætâque tanto Milite Eccleſia, quid eo Duce, & Paſtore, niſi uberrima de Saraceniſ, & Judæis, Græcæque perſicaciæ, aliorumque errorum hominibus ſpolia referret? Certabant pro eo Paſtore populi, ac Provinciæ, nec potuit una ejus induſtriam, & promovendæ DEI gloriæ ardorem explere; quinque admodum ejus virtuti exercendæ campum aperuerunt. Sed ut ampliùs aliquid Heros fortiffimus au-deret, ſupra ſeipſum ſurrexit; dum debitum virtuti præmium, Purpuram priùs geſtare erubuit, quàm pallere inter proſtrata cœdâ lue cadavera di-

Draskovicæ.

Kolonicæ.

*Vienna pe-
ſte laboranti
& obſeſſ.
à Tur. ſuc-
curr.*

di-




dicerit: nec à Purpura priùs, quàm à cæforum sanguine rubere voluit, quorum ipse vulnera, dum Vienna obfidione tenebatur, curabat, felix corporum, melior animarum medicus effectus. Sed quid ista in Viro integerrimo miramini A. A. majus aliquid ut videatis, ad fores Viennensis Basilicæ animum advertite, & splendidum illud, purpuratumque pro egentium subsidio mendicabulum Kolonicium videte, compositaque ad misericordiam voce, Deum, hominumque auxilium implorantem audite. Assurgat hic pro me, aut dicendi contentione Demostheni, aut facundiâ par Tullio Orator, & pulcherrimum hoc facinus ad invidiam antiquitatis, & posteritatis memoriam commendet; quod ego mittere, quàm pro merito non commendare malo. At duorum Patriæ Patrum Forgacsii, & Pazmani non meminisse nequeo. Quid enim? an non jucundissima mihi Forgacsii sit memoria, qui festum sibi diem illum, & omnium jucundissimum agebat, quò ejectæ priùs à nefariis Societati nostræ, viam in Regnum aperuit? an obliviscar, nisi ingratus sim, Paz-

*Forgacs, &
Pazmány.*




mani, cujus beneficiô literarum, virtutumq; palæstræ in Hungaria erectæ, & suum studia, pietâsque tenuêre cursum? Hos dum ego tam singulari memoria dignos pronuncio A. A. Vos ipsa Regni nostri ornamenta, & fortissima duo Ecclesiæ fulcra à me nominari intelligite. Nec enim Cardinales eos dicerem, nisi se priùs firmos Cardines, in quibus salus Hungariæ vertebatur, probâssent: nec dignos Purpurâ eorum humeros existimarem, nisi eos labanti jamjam Hungariæ Ecclesiæ subiecissent. Agite enim! quis in illa sævientium, totâ, quàm latè patet, Hungariâ, hæreseon licentia, strenuam magis, ac utilem Patriæ navavit operam? quis se conjuratæ in Romana sacra Bocskaiianæ factioni tam formidabilem exhibuit, quàm Forgacsius? qui nihil priùs habuit, quàm conciliabulis eorum Provinciales opponere Synodos, & adversas Romanæ Religioni antiquare leges: Regem ipsum, nè iniquis eorum postulatis subscriberet, Apostolica planè libertate admonuit. Dolent hodièque errorum Magistri, pravarumque opinionum sectatores ereptas



ptas sibi Pazmani operâ amplius triginta è prima nobilitate Hungariæ familias, lividis intuentur oculis erectas, ditatasque ejus munificentia ædes, è quibus novas identidè in eorum perniciem suppetias Ecclesia accipit. Erat nempe Pazmanus Ecclesiæ hostibus invisus undique, & perniciosus; hoc solùm nomine, quòd mortalem existimarent, gratus, utilisque. Hoc unum intuebantur in clarissimo Viro, unde lenirent dolorem ex acceptis decumanis ab eo plagis, & inter impendentia aliarum ex aliis pericula respirarent, aut etiam sese solarentur. Sed ridete vana eorum gaudia, spèque inanes! Vivit etiam post fata Petrus (non enim petram movere licet) vivit, inquam, in Libris suis, quibus, aut errores fidei acriter impugnat, aut argumenta sanam impugnantium doctrinam refellit. Verum hoc esse didicere dolore, maloque suo adversarii; sed lætatur Ecclesia, gaudet Patria, quæ uberes ejus fructus etiam à morte legit. Gratias tibi DEUS Optime, Maxime! qui tales, tantosque Viros in ea servâsti tempora, quibus aut vincendum, aut pereundum erat. Ad finem

finem jamjam properaret oratio, nisi præcipuum dictionis meæ argumentum, Emericus è Comitibus Csáky, suam sibi laudem postularet. Hunc ego *Emerico Csáky.* dum honoris, & reverentiæ causâ nomine, Cardinalem magnum, ac numeris omnibus absolutum prædicavi. Et verò non potuit minutus esse, in quo formando diu, multúmque sterilis natura laboravit; non potuit non præstare plurima in Ecclesiæ commodum, qui, antequam esset, ejus obsequio dicatus fuit. Ostendit equidem non vanè se sacris devotum fuisse; cùm neque relati ex Romano Athenæo honores, neque generis claritudo eum ab excolendo sterili tunc Urbis nostræ agro prohiberent: itaque facillè meruit, ut duæ simul sacræ Mitræ ejus ornarent verticem, cui coronando par una non erat. Non ille honores, sed illum honores quærebant; ut meritò in eum amplius ornandum, Urbis, & Orbis Monarchæ suis conspirârint favoribus. Profectò non postremo decore destituta fuisset Purpura, nisi tanti Præsulis ornâisset humeros.




Hæc dum in Vestram, Eminentissimi Patres, comendationem pro temporis brevitate attuli, Vos quidem oro, atque obtestor, ut parum facundo in laudes Vestras Oratori veniam tribuatis. Vos verò AA. téque cumprimis, Orator, & Neo-Doctor Theologe, magnopere hortor, ut intellectâ Patrum Patriæ virtute, eam supra splendorem Purpuræ efferatis. Quid enim? suis Republicæ se jactent consulibus? suis Sceptrâ, & Coronæ glorientur Regibus? suis signa clarescant Ducibus? Uni Purpuræ eos ornamento esse negabitis, quorum virtute suus Ecclesiæ, suus & Purpuræ constat honor? Agite proinde, & pro Vestro in virtutem studio, pro ea, qua in Servatores Vestros esse debetis, gratitudine, & in fidei propugnatores observantia, illud in grati animi, debitæque reverentiæ testimonium, piis eorum manibus mecum occinite:

Purpura sit Patribus non ultima gloria nostris;

Tollite virtutem, gloria parva manet.

Dixi.



DA 2640

